






4565

II

P







POETARUM ELEGIOGRAPHORUM

PAR NOBILE

SIMON SIMONIDES

LEOPOLIENSIS

MAGNI JO: ZAMOSCII à SECRETIS



RAYMUNDUS CUNICH

R A G U S I N U S

In Rom: Soc. J. Athenæo Eloq. Professor

NOBILI IUVENTUTI POLONÆ

*Propositi in Exemplum*

Quibus

PRÆFIXA EST DISSERTATIO

CRISAURI PHILOMUSI

De vera Carminis Elegiaci natura & optima constitutione.

---

Plin. Lib. V. Epistol. VIII.

*Pulchrum imprimis videtur, non pati occidere,  
quibus æternitas debetur.*

---



V A R S A V I A.

In Typographia Mizleriana

1771.



МІЛОНГА ПОЛІОГРАФІЯ

ІЗДЕРЖАВЛЕНІЯ

СІДЖИСІВСЬКІ

ІЗДЕРЖАВЛЕНІЯ

ІЗДЕРЖАВЛЕНІЯ

ІЗДЕРЖАВЛЕНІЯ

ІЗДЕРЖАВЛЕНІЯ

ІЗДЕРЖАВЛЕНІЯ

ІЗДЕРЖАВЛЕНІЯ

4565.II.



ІЗДЕРЖАВЛЕНІЯ

ІЗДЕРЖАВЛЕНІЯ

ІЗДЕРЖАВЛЕНІЯ

CIC. Pro ARCHIA.

Quis tandem me reprehendat, aut quis mihi iure succentur, si quantum cæteris ad suas res obeundas, quantum ad festos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates, & ad ipsam requiem animi & corporis conceditur temporis, quantum denique aleæ, quantum pilæ: tantum mihi egomet ad hæc studia recolenda sumpfero?

PLINIUS Lib. VII. Ep. IX.

Fas est & carmine remitti, non dieo continuo & longo (id enim perfici nisi in otio non potest) sed hoc arguto & brevi, quod apte quantaslibet occupationes curasque distinguit. Lusus vocantur; sed hi lusus non minorem interdum gloriam quam seria consequuntur.

CASSIODORUS.

Cum nulla in mundo possit esse fortuna, quam librarum non augeat gloria notitia.

JUL. CÆSAR. SCALIGER.

*In Praefatione Librorum Poetices.*

Non sunt audiendi, qui hisce studiis clamant tempus absumi importunè, quod severioribus ac primariis scientiis impendendum est. His enim, si adhibeas modum, tantum abest, ut fatigent animum, ut etiam alacriorem te reddant ad exquisitiores contemplationes.

## *AD LECTOREM.*

*Hæc nos sepositis tractamus ut otia curis,*

*Scito quoque appositis tractare negotia curis.*



DE VERA  
*CARMINIS ELEGIACI NATURA*  
ET OPTIMA CONSTITUTIONE  
CRISAURI PHILOMUSI  
DISSERTATIO.

**S**Æpe numero, fateor, me admiratio incessit, quamobrem, cum tot eruditione præstantes Viri de Arte Metrica scriperint, nullus extiterit, qui de vera Carminis Elegiaci natura, & optimâ constitutione ex professo considerandum putaret. Quæ sit causa huius silentii, nihil interest, indagare. Visum autem est mihi in re obscura certè, necdum, quod sciam, satis explana- natâ tentare, quid lucis atque utilitatis Elegaci Carminis stu- diosis cultoribus afferre possim. Scio me multorum invidiam & reprehensionem incursum. Allatus enim eam sum mate- riā, de qua pleraque statuam, atque affirmabo contra vulga- rem & in omnium fere animis receptam opinionem. Dicam contra eos, a quibus dissentire nefarium à vulgo iudicatur; dicam porro ea, quæ frivola quibusdam, nova fere omnibus vi- debuntur, præcipue Magistellis illis, qui seipso consuetudinis servos & mancipia facere non erubescunt, & extremo profe- quuntur odio, si quis eorum opinione atque errore detegere, confutare, seque melioris auctorem sententiae audeat profi- teri. Quorum quidem obtrestationes tanti ego non facio, ut propterea ab honesto proposito, cuius mihi causæ sunt laudabi- les,

les, resiliam. Jurent illi quantum libet in aliorum verba, & servum pecus audiant. Ego certe in his studiis consuetudinem pro simula & pedissequa habebo semper, rationem produce. Sed iam ad ipsum negotii caput veniamus, atque disceptationem ordiamur, quam non studio novitatis, non ingenii ostentatione atque arrogantia, induxitum, sed puro puto Poeſeos amore, atque iuvandi litteris consilio me instituisse, palam ingenuaque profiteor. Iam inde a prima pueritia Poeſis latinæ studio mififice sum delectitus.

*Et me Parnassi deserta per ardua montis  
Dulcis amor rapuit.*

Habui Mediolani apud Barnabitas, Lugduni apud Jesuitas præceptores non incommodos, Parisiis etiam atque in urbe urbium Principe, Viros doctrinæ laude præstantes, qui me ad id studii excitarent, atque impellerent; secutus eorum consilium, in eo minime oscitanter me exercui. Ætate sensim adolescenti cœpi Poeſtarum scripta diligentius introspicere, in quibus legitimis sœpe occurserunt, quæ me dubium & fluctuantem in varias difficultates abriperent, e quibus nec ipse me poteram explicare, nec aliorum consilium tale semper inveni, quale quidem optabam.

Inter cætera, quæ longum foret enumerare hoc, de quo nunc agere decrevi, non est postremum. Videbam Ovidium censeri vulgo Principem Elegiographorum, & quem imitari omnes conveniret. Atque ita ego tunc quoque iudicabam. Legenti mihi tamen postea, & consideratius expendenti reliquos Elegiographos, videbatur Ovidius de priori suavitate & dulcedine remisissé. Faciebat hoc numerorum ratio, in qua nimis anxius est & curiosus. Astringit siquidem illam solus omnium & absque aliorum exemplo ad bisyllabas voces, qua de causa cœpi dubitare, solus ne Ovidius esset imitandus, ac tandem eo dubitatione meâ processi, ut ab Ovidio, cætera quidem cuncta nihil vero minus quam rationem numerorum, quibus utitur,

expe-

expetendam petendamque nesciū decernerem. Quæ mea opinio adeo alte animo insidet, ut nullis argumentis iam nunc expelli possit: Tu quisquis es, ad unum Ovidium imitandum inventutem qui inflamas, si potes, responde, ac me doce. Estne ullum aliud genus carminis, quod ad certas syllabas ita sit alligatum, ac Promethei instar in Caucasea quasi rupe devinatum? suntne, inquam, illæ aliæ syllabæ ad alios versus, tanquam ad triremes, hoc modo damnatae? Taces vero iam? & quid reponas in promptu non habes? Unum da mihi exemplum, in quo peculiares syllabas ad peculiare & unum carmen alligarint Poetæ, daboque manus vietas, habeboque pro documento gratiam: Id certe apud Poetas Latinos veteres non invenies; sed neque apud Græcos; Excute Theognidis, Callimachi, Simonidis, Solonis, Mimnermi monumenta Elegiaca, videbis nihil omnino quemquam tibi ad tua bisyllaba vocabula tuenda conferre. Nulli enim omnium minus Græcis de syllabarum numero anxii fuerunt, imo plerique eorum de industria numerum neglexisse cuiquam videri possint; atqui si hoc fecerunt Græci, non video, cur Latini debeant esse severiores, eo magis quod Latina Poesis e Græcia in Latium perducta fuit, quodque omnia Romani à Græcis sunt mutuati. Quia vero ne hic quidem perfugium habent nostri bisyllaborum defensores, quid causæ porro est, cur eos statim non damnemus & cum bisyllabis suis, non in maledictam Narniam, sed in ultimam usque Siberiam deportari iubeamus; aut si id nimis inhumane sit, eiiciamus saltem ex imperio, quod in Elegiaco carmine per summum nefas usurparunt; ut nimirum & ipsi supercilium posthac demittant, & bisyllaba ipsorum Proletariorum vicem sustineant. Ne tamen & hoc duriusculum forte reputetur tantæ dignitatis voces tam subito ex imperii culmine ad imum locum deturbari, & inter plebem servosque censeri, dabimus illis honestiorem inter Civitatenses, ut aiunt, locum, ac fortassis, si modeste se gerent, ad Equestrem dignitatem iterum evche-

mus:

mus: duplii tamen hac addita cautione, ne ad imperium aspirarent, aut Senatoriam dignitatem unquam gerant; metuendum namque, ne amissum regnum per vim rursus sint aliquando occupaturæ: quo peius nihil ac periculosius foret, iam comminiscantur aliquid, si possunt, ut suam suorumque bisyllaborum dignitatem iam iam casuram ne penitus amittant. Quid aitis! iamne consilia initis inter vos?

*Quid sibi vult rigor in vultu, quidve illa severis  
Frons caperata minis? \**

quidque oculi in humum deiecti portendunt? Non frustra erit, quod tam diu meditantur, quodque inter se diurna nocturnaque ineunt consilia. Exproment aliquid minime vulgare & quod haud facile refutetur. Sed

*Parturient montes, nascetur ridiculus mus.*

Sono, inquiunt, Ovidiana auctoritate, consuetudine nostri temporis, & Magistrorum nostrorum bisyllaba nostra defendimus. Nam sonus quidem illorum longe suavior trisyllabis, quadrisyllabis &c. & mollius quoque finem Pentametri claudit. Ovidius deinde Poeta divinus, cuius auctoritatem flocci facere crimen sit nullis februalium sacris expiadum. Bisyllaba ille fere semper, trisyllaba & alia vix quinques in omnibus suis operibus admisit. Tantam denique vim habet consuetudo à doctis recepta, longique temporis iudicio comprobata, ut, qui ab ea discedat, non homo sit, sed quadrupes. O tu animal bipes & implume, qui sic ratiocinaris! Quid iam vero Bambalionibus, Lucumonibus, Geronibus, istis respondeam, quibus verbis eorum insolentiam retundam! Summe Iuppiter! quot quantaque sunt, quibus triceps hoc & puerile rationum commentum, veluti ventus folia diffolare possim, atque dissipare!

Ac de fono quidem inferius agam, quemadmodum & quanta Ovidii auctoritas esse debeat; quid præstiterit Ovidius, quantumque sit illi tribuendum, postea rectissime ostendam. De consuetudine autem, de qua mihi infra non erit amplius ser-

mo,

\* Buchananus.

mo, pauca disleram. Consuetudinem habere vim maximam in vita civili, fateor, in studiis litterarum pernego, neque unquam tantum habere virium in foro litterario consuetudinem putabo, ut eam, relictâ veritate, ac ratione ipsâ, me oporteat sequi. An si pravâ consuetudine auctores decepti in errorem lapsi sunt, quem postea multi approbaverint, in eundem nos etiam praecipites ibimus? si a Regia via, in tramites distortos prior quam decedat, eumque a tergo insequatur multitudo, an subsequar ego? absit. Rationem scilicet homini Deus insevit, eamque veluti cynosuram esse voluit. At vero blandius, inquit, nobiscum age, qui non plane quidem rationem spernimus, sed praestantium virorum iudicia non possumus non facere maximi. Consuetudinem nos sequimur, sed quam Ovidius, quantus Poeta! totque alii excellentes viri, non Poloni solum, sed Itali, Galli, Germani, Hispani, Belgae, Angli, Batavi, sua auctoritate etiam ita corroborarunt, ut dubitare de recto bisyllaborum usu nefas prope sit. Itane vero eodem furtim relabimini? Siccine quod omnino facitis, facere tamen non cupitis videri? Respondeo non esse in studiis litterarum auctoritate pugnandum, quam ratio potest expugnare. Quid si vel mille ita iudicent, ratio monstrat aliud, an mei transfuga ad illorum me sententiam, contra animi mei sententiam applicabo? Nequaquam vero. Brebovio (\*) sublimioris Poetæ spiritus, qui magnum nomen Gallica Lucani interpretatione adeptus est, despectus sordebat Virgilius, eique ac ceteris quoque omnibus antiquis Poetis Lucanum anteferebat. Eodem delirio scimus laborasse Petrum Cornelium Tragorum Gallorum Principem. Sic quoque Franciscum Malherbam nulli Lyricorum gentis Gallicæ secundum accepimus, ad Statii clangorem & crepitacula insanisse. Adeo verum est, quod saepe alias expertus sum, rariores esse sanos bonorum Poematum estimatores, & iudices, quam probos eorumdem artifices. Quod si hac in re, illi, contra quos dico, rationem adhibuerint, non modo non tuebuntur amplius, nisi sint desperatae pertinaciae, priorem de vocabulis

(\*) Brebauf.

B

opinio-

opinionem, sed ultro etiam ab auctoritate, quâ prius nihil ante habebant, ad meliorem sententiam nostrasque partes confundent. Id ut recte faciam, multis rationibus tentabo, simulque ne nos etiam auctoritate, cui tantum illi tribuunt, in universum destitui, imo longe maiori præstantiorique instructos esse demonstrabo. Quare ut ordine rem totam exequiar, primum forte à me queritur, quis fuerit primus Elegia inventor. Respondebit pro me Horatius in arte Poetica. Versus sunt in omnium ore & memoria.

*Quis tamen exiguos Elegos emiserit auctor,*

*Grammatici certant & adhuc sub iudice lis est.*

Grammatici, inquam, multi multa pro more suo blateraverunt. Ego hanc litem sub iudice relinquo. Si quis curiosus es, ito ad æstuantes colluvione verborum Grammaticos. Nec minor est de Etymologia, apud Eosdem primaque huiusc carminis materia, quam de origine opinionum diversitas. Ego sententiā Horatii non possum non certam arbitrari & retinere. Ad testimonium dicendum voco eiusdem versus.

*Versibus impariter iundis querimonia primum,*

*Post etiam inclusa est voti sententia compos.*

quibus aperte significat, materiam Elegorum fuisse initio querelas amantium ad fores amicarum, diffusâ deinde significatione ad eos, qui voti compotes essent facti. Hæc sententia fuit magni illius Cæsaris Scaligeri, additque pulcherrimam facti istius rationem. Nam, inquit, & frequens conquestio est in amoribus, & verissima mors, quæ nobis amentissimis, amentissimo atque ingratissimo sexui vivitur. Verba hæc sunt, an fulmina ac tonitrua! insignem sententiam, & plane cum hoc Poetæ cuiusdam Epigrammatio convenientem.

*Nil amor est aliud, si nescis, quam sine vita*

*Vivere, nil aliud, quam sine morte mori.*

De infe-

nitudo

Auctor (\*)

¶ ii ¶

De infelicitate amantum seu potius amentum, sic olim scri-  
psisse me memini.

Ah miser insano qui se committit amori,

Incidit atque tuos s̄eve Puer laqueos!

Sordidus & vitiis, & probris undique opertus

Inde sui labem contrahit ingenii:

Nec satis innumeratas s̄avire in corpora pestes,

Ni quoque in infandum mens ruat exitium.

Quid mihi Caucaseo pendere Promethea faxo,

Fætunda & pœnis viscera commemoras?

Et fixos manibus clavos, & fortia vincla,

Membraque perpetua torrida de glacie.

His graviora parti miserabile vulgus amantum

Imperiosa malæ sceptræ iubent Veneris.

Nulla quies animo, ceu cum fera Saga susurro,

Devovitque suis pectora carminibus,

Impia cantatas exurit flamma medullas,

Sæviit ante pyra qualis in Herculeâ:

Hinc patrii subeunt animis obliavia cœli,

Nec sedet in casto pectora Religio;

Non pietas cordi, nulla est reverentia legum,

Cui Venus ardentes ipsa adhibet stimulos.

Cunctorum inventrix scelerum est vesana libido,

Ingenii atque hominum maxima pernicies

Non amor hic primo fuerat, sed amaror ab ævo;

Dicendus, cum sit nil nisi amarities;

Turpis & est morbi species horrenda caduci;

Aspice post sua furta, ut iacet exanimis?

Sed tu dius amor gemino de lumine lumen,

Fons & origo boni alme amor omnigeni,

Tu mihi divino sensus, tu flamine lustra,

Ure rogo igne tuo mentem animi atque animam,

Scilicet hi poterunt felicem ducere vitam,  
Quorum casta tuis corda calent facibus.

Sed iam audire mihi voces cuiusdam videor Pædagogi conque-  
rentis ex me, quod reverendis crinitæ turbæ moderatoribus  
illudendi gratia & studio trisyllaba hic mea & quadriflylla  
importune ac veluti proditorie intruserim: Adhuc, inquiunt, ti-  
bi res est cum loricata bisyllaborum nostrorum cohore, atque  
ut est in triviali proverbio nemini licet canere ante victoram;  
sic tibi nefas tua hæc trisyllaba atque quadriflylla obtrudere,  
antequam cum bisyllaborum cataphraetis phalangibus pugnam  
ineas, atque egeris iusto domitas triumpho, \* sed prænuncio,

Gens dura & vivida bello

debellanda est. Tibi est

Ne irascaris mi Magistelle.

Rem pateris modicam & mediocribile ferendam. \*\*

Non hæc tibi Ovidii mancipio, non fungis scripsimus, sed qui-  
bus cor salit, & acre acetum est in pectori, qui que sciunt quid  
distent æra lupinis, apage a me.

- procul hinc procul esto prophane

Non mihi res tecum est ludi scelerate Magister, \*\*\*

Invisum Pueris virginibusque caput.

Habes ecce bisyllabum, cuius sonus videtur tibi suavior, &  
mollius quoque finem pentametri claudere. Jamque accipe in  
me quietum animum atque hac galed contentus abito. \*\*\*\*

Sed iam redeo ad propositum, totamque Elegiaci carminis  
rationem breviter evolvam. Etsi igitur Elegiarum primus in-  
ventor adhuc sit sub iudice, tamen si nos eum statuamus, quem  
plerique Theoclen Naxium, qui furens primus effudisse elegos  
narratur, putatis ne illum in isto furore carmen Ovidianum ef-  
fudisse, quod numerorum eorundem uniformi æqualitate de-  
currens nihil furoris, nihil caloris præ se fert, sed nescio quem  
languorem (languorem dico, si ad furoris rationem respiciamus;  
nam alias versus Ovidii languidos appellare mihi sane religio

sit)

\*Horatius. \*\*Horat. \*\*\*Martialis. \*\*\*\* Virgilius.

sit) proprius & penitus intuenti exhibet. Quis autem spiritus, qui numeri, qui soni in carminibus eorum, qui spiritus libertatem angustis Ovidianorum pedum includunt legibus, numeros suspenso animo velut ostiatim emendicatos, eodem vel nullo colore conspicuos, exsuccos atque sine anima usque ad nau- seam infarciunt, sonos non ex rei natura, sed asininarum auri- cularum suarum stultissimo iudicio adhibent, adhibitos admiran- tur, & in iis se palam ostentant. Hæc hercle ad enthusiasti- ci caloris impetum non quadrant, quin imo adeo meo iudicio pugnant, ut nihil dissimilius, nihil absurdius inveniri posse cen- seam. Et tamen hæcce optima versificandi via habetur in Po- lonia a multis, verus scribendi carminis Elegiaci modus, iudi- catur, profitetur, atque etiam propugnatur. Sed resipisce tandem Juventus Polona, & vel ex ipso Elegiæ ortu disce qualem Ele- giam esse conveniat. Quod si hoc frigiduli quidam Magistelli non admittant, iube illos suam numerorum æquabilitatem, id est suum languorem, suam maciem, suum sibi habere cadaver, tu contra audentior ito. \* Memini sic olim me strinxisse calatum in rus merum Grammatisten.

Vana solæcisi quod te conturbat imago,

Non stupeo, cum sis de grege Grammaticū:

Siren, Sirenis, Sireni dicier, & scit

Nondum subducta est cui manus a ferula.

Græca per Ausoniæ fines sine lege vagari,

Ignoras insulissime quot fuerunt,

Pædagoge? palam & vates maiore loquendi

Libertate uti, & multa licere, caput

Quæis vincitum lauro Parnasside, queisque Camœnæ,

Permessi Sanctos ducere dant Latices?

Non tibi, cui geminâ Aleæto comitata sorore

De phlegethonâ pocla tulit scatebrâ.

Tantum ergo te diligimus, Saturnius Heros

Quam Enceladum, torto fulmine cum feriit

Et merito;

\* Virgilius.

Et merito; nam quis te nostras, improbe, Musas  
 Contemerare tuis egit asellitiis?  
 Et falso carmen nostrum insimulare solæco,  
 Fædere & nostras turpiter illecebras?  
 Phœbe Pater Lycios late spectabilis arcu  
 Nodosâ Atardi cæde nates scuticâ  
 Et vos Permessi Divæ, bifidique Heliconis,  
 Quæ colites fontem lacrigera & memora.  
 Turpantem flores, & vestri munera montis,  
 Atardum furcis præcipitem eicite.  
 Ast ego te Pindi labem, Pindi te ego pestem  
 Armato æternum prosequar Archiloco.

Sic ego soleo Grammatistas iltos, qui res diversissimas uno  
 quodam orationis filo contexunt, certisque quibusdam & eius-  
 dem generis numeris includunt. Egregium sane coquum, qui  
 varia iura in unam simul confundat ollam. Nonne idem illud  
 illi agunt, qui res diversissimas, una eademque Ovidiana phras,  
 unis iisdemque Ovidianis pedibus illigant, ex eodem calice  
 dulce amarumque propinant, iisdemque coloribus tristes, hilari-  
 resque depingunt, iisdem vestibus & Principes, & Plebem indu-  
 unt? Vel me tacente res ipsa clamat, & loquuntur eorum Poe-  
 mata, quæ quoties legimus, plerumque non sine stomacho, sæpe  
 etiam cum risu legimus; Danda ergo sedulo est opera,, & hoc  
 unum assidue nobis ob oculos ponendum, ut ad omnem animo-  
 rum motum orationis harmoniam ipsamque formam numero-  
 rum, quibus in oratione utimur ad intimam rei naturam o-  
 mnino accomodemus. Quis autem id vel mediocriter præstet,  
 nisi vocum naturam, pedumque proprietatem omnem exactissi-  
 me didicerit? In id itaque vero Poetæ est incumbendum, ut  
 pro ratione argumenti, verbis numerisque nunc assurgat, nunc  
 subsidat, tolutim modo, nunc gradatim incedat, nunc dulce le-  
 tori, nunc amarum depromat. Poteritne Poeta, varietatem &  
 inconstantiam affectuum humanorum Euripo æstuosiorem, uni-

formi versuum tractu, æquali numerorum serie, pari syllabarum dimensione, quasi in pictura, ut oportet, representare?

*Ut Pittura Poesis erit.*

inquit, Romanæ fidicen lyræ. Profecto non poterit, si rei naturæ parem velit orationis naturam & esse, & videri; poterit autem commoda tum verborum, tum sententiarum varietate, tum grata pedum accommodatorum dissimilitudine, numerorumque diversorum tempestiva mutatione; ad quod quidem consequendum opus erit industria singulari, vehementi studio, prudenti sinceroque iudicio. Mihi vero quantum & a Viris doctissimis, præcipue à Raymundo Cunich, illustri Poeseos in Romano Loiolitarum athæneo nunc Professore accepi, & ipse non mediocri studio atque assiduâ Græcorum & Romanorum Poetarum lectione percepit, nihil ad Elegiaci carminis varietatem & rerum diversarum exprimendam conditionem accommodatius videtur inter alia, quam frequentes in quinta Hexametrorum sede spondæi, quorum natura gravis ac lenta, nec solum lamentantibus apta, sed aliis quoque effectibus conveniens. Quis fortunam in rota sua nutantem melius nobis depingere potuit, quam qui dixit?

*Fortunam rotulis infistere casabundam.*

Quis non languorem videt in hoc versu?

*Nil iuvat Assyriis in odoribus clanguere.*

Quis non præcipitem cernit agitationem numerorum in hoc Catulli.

*Atque illud prono præceps agitur decursu.*

Sunt voces aliæ tales, ut exturbatus, conturbatus, externatus, expugnatus &c. quæ si commode adhibeantur, dici non potest quanto Elegiam efficiant elegantiores. Olim de Nymphis in Elegia sic lusi.

Ast illæ gelidis sub frondibus inclinatae

Laxatis recubant molliter uberibus.

Virgineos somnos e pectoribus spirantes.

alibi etiam Græcorum & Catulli more sic clausi Hexametra mea.

At me

At me pallida mors magis atque magis languentem.  
 Ebriaque ignotis mens vulneribus languescens.  
 At circum faciles Nymphæ choreas ducebant.  
 Ergo omnes fontes, nemora omnia circumcurso.  
 Cunctaque dum lustro, dumque omnia circumspecto.  
 Cui circum malas flos aureus emergebat.  
 Lustantem frustra, frustra puerilia tendentem  
 Undique cum multis brachia lacrymulis.  
 Undaque vicinis e littoribus procurrens.  
 Mox si illam Boreas radicitus extirpavit.  
 Aut tenerum somno leviter caput inclinaret.  
 Euridice clamabat, at Euridice clamanti.  
 In tauro hærebatur, in tauro suspirabat.  
 Omnia nequicquam plangoribus incendebat.  
 O Nereu Pater, ô & cærulea Amphitrite.  
 Hic illam gelidas auras fluvii captantem.  
 Nos doctis Sophiae complexibus immorientes.  
 Impia mors, quam me crudeliter externasti!  
 Turbatos alii fluctus maris, & salientis  
 Neptuni strepitus & Theryos undosai  
 Fluctifragis spestant de verticibus scopulorum.  
 Qua Zephiri invitat vis languida suspirantis.  
 Qua riguo fons argenteus è nemore  
 Molli lapsus rore levem somnum suadebat.  
 Ædibus ex altis vel culminibus desertis.  
 Et lauri fragiles, & quæ superimpudentes  
 Solis oberrantes excipitis radios.  
 Cunctaque turbantes gemitu, Pater, ac languentes.  
 At nobis superant tristes lacrymæ & singultus.  
 Mentem sollicitam lento sopor interventu  
 Paulatim dubiis fallit imaginibus.

Isthæc exempla congerere utile iudico, cum videam agresti & barbaro quosdam supercilios ex Elegorum censu spondæos omnino reieciisse. Quo eodem supercilio Varsaviæ sunt nonnulli, qui cæsuram brevem nunquam ingredi legem versuum Elegacorum permittunt. Legant divinum Scaligerum Patrem, & dissentent omnem cæsuram indifferentem esse. Sistitur enim, inquit, in ea dimensio, & in saltationibus ad cæsuras pede terram veteres seriebant. Accedit omnium Poetarum auctoritas, qui consulto Grammaticorum edita transgressi varietatis & nitoris causa, sæpe numero cæsuram acquisiverunt. Obyvia sunt exempla, & illud Catulli e plurimis:

*Perspecta exigitur unica amicitia.*  
illud Propertii

*Aut pudor ingenuus aut retinendus amor.*  
Hoc Tibulli e multis

*Quidquid agit, sanguis est tamen illa meus.*  
Horatius quoque admisit in alio versuum genere. Quapropter ab hac licentia abstinere non debemus, securi de insulis Grammatistarum iudicii, de quibus hanc olim contexui fabulam.

Dum veteres nuper repetens de more querelas

Gutturé cantum edit Daulias artifici,  
Olli ausus streperâ Cuculus contendere voce

Obscuro stolidum gutture *Cucu* sonat.

Nec mora diversæ fervent certamina linguae;

Nec litem Iudex ullus adest dirimens.

Forte Afinum Cuculus cernens, hic iudicet, inquit,

Longa utrinque satis cui patet auricula.

Ille probans aliquid secum commune sonantem,

Judicat esse melos nobilius Cuculi.

Hinc Cuculis cordi est sua tantum Musica, nulla hinc

Luscinia est, tardi cui faveant afini.

Sic nec illa Pentametri est responda forma, quæ cæsuram in medio transilit, ita ut præcisio non in ultimam cadat syllabam,

bam, sed versus ipse perperuo tractu ducatur, atque continetur. Cuius rei quidem in Græcis multa exempla videre est. Apud Latinos multa quoque extant. In Propertio succurrit unum lib. III.

*Geryone stabula, & luctantum in pulvere signa,*

*Herculis Antæque Hesperidumque cohors.*

Catullus frequentissime usus est; e quo unum & alterum proferam.

*Quem modo, qui me unum atque unicum amicum habuit.  
Troia Virum & virtutum omnium acerba cinis.*

Quibus versibus nihil horridius esse multi statuunt. Ego nihil iisdem aptius à Catullo ponи potuisse contendō. Revocate in memoriam, quæ supra de numeris ad res ipsas accommodandis retulerim, ut res languidae languido, tristes tristi, asperæ aspero numerorum sono representarentur. Jam quid illa prioris versiculi Catulliani sententia languidius ac tristius? quid istâ posterioris asperius? querela est de amico ingrato, lamentatio de lacrymoso Trojæ excidio, quibus certe exultans Ovidianorum pedum lascivia non potuit, nec debuit achiberi. Catullus, si quisquam alias, optime numerorum calluit naturam, eorumque sonum ita rebus novit applicare, ut à doctissimis Viris præcipue ex mea Italia, artium adinventrice & Magistra doctrinarum propter artificium hoc, vero Poetæ ut maxime necessarium, sic maxime omnium difficile, Princeps inter Elegiacos censeatur. Quocirca eum imitati sunt recentiores aliquot; inter quos aymen dicit Raymundus Cunich, quem nominare laudare est. Videamus aliquot exempla, ut appareat, secula quoque nostra non carere omnino Poetis, qui cum Priscis hocce artificio possunt comparari. Nomina Poetarum brevitatis causu prætereo.

*Immemor ah animi externor, & obstupeo.*

Nonne numeris ipsis & elisione cæsuræ subitam animi consternationem & stuporem aptissime expressit? Nonne in hoc altero.

*Natalesque ambusta hauriat e cinere:*

verbum

verbum hauriat præcedentem vocalem, haurit & absorbet? Et  
in isto

*Cum senio defessa ossa gravi exuitur.*

nonne tam lento numerorum tractu senii tarditas & onerosa  
molestia pulchre hic nobis ostenditur? Hic etiam versus gravi-  
tate & lentitudine sua mirum quiddam & insolens declarat.

*Atque ipsi naturæ amulum Ariſtotelem.*

Hinc manifeste apparet, non reiiciendos esse huius modi ver-  
sus, sed studio etiam captandos. Ego certe captavi, captabo-  
que quoties elegos mihi scribere continget. En profero exem-  
pla. In Eleg. ad Caj. Valenti Equitem Hierosolymitanum.

Sic ubi frigidior brumæ rigor impulit annum,

Frigoraque hybernæ astricta stupent glacie

Ora premunt volucres & vepribus in perplexis

Languidulæ nullis se soluunt studiis.

In Eleg. ad Antonium Comitem Ciantar Melitensem Virum eru-  
ditissimum.

Etsi mi incerto titubent vestigia gressu

Languida adhuc artusque officium renuant.

In Eleg. In mortem Hiacinthæ Ursinæ Ducissæ de Arce inter Ar-  
cades Euridores nuncupatae.

Quosque graves planctus per & æthera fudit & æquor,

Alcyone infelicissima pallidulum

Coniugis, ut vidit spoliatum lumine corpus &c.

In Eadem.

Fata nimis fera, crudelia & omnivola!

Quis dirus furor, aut quæ vos insana cupidio

Egit nostram ægro evellere corde animam!

In Eleg. ad Comitem Origo.

Ac nisi me assiduæ fæto simul agmine curæ

Mentem animi, vitamque usque adeo opprimerent.

In Eleg. ad Emanuelem Pinto SSimum Melitæ Principem.

Infesto aut Nautis consurgens impete Orion  
     Neptuni dorsum immane fatiget, aquis,  
     Ut summis, non glaucarum Rex Nereidarum,  
     Tritonesque ausint exeruisse caput.  
**In Genethliacis Principis Alex: CZARTORYSKI Varsaviæ à me**  
**editis.**  
     Sive vias cœli, rerumque exquirere formas  
     Naturæ, & iuvet involvere te latebris.  
**In Elegia contra luem Hypochondriacam.**  
     O vagus Upilio felix & durus Arator!  
     Quis cerebrum & nervi robore stant solido  
     Spirituumque latex fluit integer & generosus,  
     Difficiles non illi increpitant tenebras.  
**In Eadem de capitís vertigine.**  
     Sæpe reor novus errantem Copernicus orbem  
     Circumagor dum vertigine fumiferâ.  
 Denique in nostris carminibus  
 Ad Castellanam Caminensem Catherinam Potociam sœculi no-  
 stri Heroinam.  
     Illius ingenium velox, mentemque capacem  
     Imperii, prudentem atque futuri animum,  
     Fatales rerum nodos secuisse peritum  
     Vestigare arcana ancipitesque dolos  
     Solertem  
**Et paulo post**  
     Non nebulam exhalat, quam cœca superbia gignit,  
     Fortunam, sed virtutis amore domat.  
 Sed satis exemplorum huiusmodi versuum, qui non modo  
 Elegiam non dedecorant, sed etiam exornant. Blatterent quid-  
 quid volunt illi, qui Catullum reprehendunt, atque hanc eti-  
 am ob causam durissimum esse Poetam audent vociferari. In  
 osorem Catulli, & *Catullientium* sic insurgo.

Assuetus lappis asinus, lolio, tribulisque  
Hypocrena tuas polluere audet aquas.

Hei! quid erit puri purissima Numinis fontis?  
Hei! quid erit vestris Pierides numeris?

Alma novensilium miserere Diana Sororum,  
Asebium nequeunt quæ prohibere asinum.

Tu Dictynna tuas Venatrix mitte sagittas,  
Tu submitte acres, corpora fida, canes.

Verum opus est magnos, ut mittas Diva molossoes.  
Longe ut tam magnum disiicias asinum,

Væ auri Grammatista tuæ, dabis improbe pœnas,  
J nunc & puras turba Heliconis aquas.

Illud etiam, quod non minus severè præcipiunt Grammatici,  
ut quælibet sententiæ singulis distichis absolvantur, minus re-  
stè nobis præcipiunt. Incidunt enim non raro sententiæ lati-  
ores, quæ tam angustis coarctari spatiis nequeunt, aut si coar-  
ctentur, multum deperdunt gratiæ & venustatis, quæ plurimum  
versuum subsidio retineri, atque augeri potest. Consule Græ-  
cos, mox Catullum & Propertium, quorum ego artificium in  
mea ad magnum fontem Elegia imitari placuit.

Nam seu post solem super herba sternere corpus  
Ludentem cytharâ, sive iuvat vacuum

Matutina quies ad fontis amabile murmur,  
Securo teneris haud loca graminibus

Commoda defuerint, nec citra aut punica mala  
Ditia nec ramis robora Athlantiacis

Cæsum ubi Ithyn philomela canit sub frondibus aureis  
Et turtur viduus voce nemus querula

Replet, densa comis ubi sibila perstrepit aura,  
Et somnos fremitu pellicit exiguo.

Hic me tegmine sub Siliquæ tenuis captantem  
Auræ frigus opacum, arbiter Aonidum

Numine

Numine toto afflit, non iam ut cantibus ausim  
 Titanas memorare atque acies Superum.  
 Ut genus antiquum terræ Phlegræa Caterva,  
 Congestos montes montibus imposuit  
 Vasta mole tumens & in æthera protulit hostes  
 Saturni unde periculum Aulæ senis tremuit.  
 alibi ad Ioach. Corognam.  
 — nimbosis ceu tempestatibus acti  
 Jonio in magno, vi maris undisoni  
 Si fortasse remissâ, appellant littora nautæ,  
 Post iterum rapido credere se pelago  
 Nolint, & decursa pericula rursus adire,  
 Spes quamvis lucri affulgeat auriferi.  
 alibi ad Caj. Valentium Equitem Melitensem.  
 Ac veluti deasis horrens exercitus armis  
 Cum pugnam meditans agmen agit dubius  
 Spemque metumque inter, si circumferre tuetur,  
 Ductorem flexu lumina lœti hilari  
 Martia flammato spirantem prælia vultu  
 Ira subit totos impatiens cuneos,  
 Conclamat pugnam nutu, strepitque minaci,  
 Tota acie Mavors æstuat armipotens.

Non addam plura exempla, quibus ostendam non semper unico disticho periodicam sententiarum continuationem debere includi, sed saepe ultra binos, interdum etiam plures versus extendi. Quod si hoc argumentum levius est, quam ut hodier nos Grammatistas tam pervicaci duritie infletere queat, dicam ipsis, quod olim scripsi in Magistellum quemdam nomine *Atardium*.

Phœbi medulla cur minus fatuo sapit  
 Blenni palato Atardii? sœnum comest.  
 Illud saltem considerent, an effectus, qui, aut supra dixi in  
 Elegiis frequentes, varii, solliciti, mobiles, an querelæ, quæ  
 copiosæ,

copiosæ, anxiæ, saepius interruptæ sunt, an exultatio, admiratio, indignatio, in quibus animus extra se quasi raptus, in hanc partem modo, modo in illam fertur, neque fere consistit: an, inquam, hæc omnia artis distichorum vinculis constringi patientur? an hæc omnia æquabili semper orationis filo, nec usquam recedente a distichorum monotonia et vinculo possint comprehendendi? Negabunt, scio, si qui sapient, & in optimorum Poetarum libris magnam invenient exemplorum copiam, quibus nostrorum Pædagogorum retundant pervicacem audaciam. Ego interim Magistellum quemdam, cui me hac de causa displicuisse, placere est,

Ad cœlum hoc lepido vocabo versu,

Insulsissime quot fuere, quot sunt,

Quotque dehinc aliis erunt in annis,

Quem rogo facies tuis cavillis

Modum? Grammaticalibus cavillis.

Non dudum tibi maximam esse sentis

A grege Aonio crucem paratam?

Quam non effugere est, nisi unico isto

modo, teque tuaque sorte digno.

Te porco ut iubeas sacro expiari.

Ut vites igitur crucem paratam

Tuæ stultitiæ atque asellitati,

Porco te iubeas cito expiari.

Aut si fors placeat magis, tuoque

Statu victimæ dignior videri

Possit, auriculosoire Asello.

Ha! Ha! te caput insubidum quod diximus, Ha! Ha!

Te stupidum, & nequam diximus, Ha! Ha! asinum

Pædagoge animo diras male concipis iras,

Ha! Ha! ridendo dicere vera licet.

Accedamus porro ad ea, quæ restant de fine Pentametri, ut disputatio quoque nostra scopum sibi propositum attingat. Pen-

tametrum

cametrum non aliis quam bisyllabis terminari ferme iam omnes, præcipue in hacce vestra Polonia magistros velle scitis; cur ita velint, ego vero nescio, & superius me causas ab iis flagitasse meministis. Adferebant meliorem bisyllaborum, quam reliquo-rum sonum, Ovidii auctoritatem, & consuetudinem doctorum hominum calculo approbatam, longoque tempore confirmatam. Postremam hancce satis refutavimus. Priores duas nunc refu-tabo, quo absolute, absolute erit omnis de hoc arguento dis-putatio. *Favete linguis studiosi iuvenes, & cubito remanete presso.* ac sonum quidem bisyllaborum esse aliis dicunt elegantiorum, ideoque solis bisyllabis finiendum. Præclaram vero rationem! Quid? in pentametri fine sola mollities erit spectanda! At non res omnes, ad quarum naturam numeros semper accomodan-dos esse, ad ravim fere clamari, non res omnes, inquam, de quibus Elegia scribitur, tam sunt molles, ut iis quadrent bi-syllaborum deliciae? Ergo ne res etiam asperæ, duræ, tristes, intricatæ, sublimes, mollibus possunt numeris exprimi? Non iam Protheus ultra erit fabula, quem absurdum est, in tot se formas transmutare posse, demus hoc illis, quod minime damus. Unde autem ista mollities, ista elegantia? a sono, inquit Magi-stellus, bisyllaborum. Audio quidem hoc, & sëpe audivi, sed ego, quæ mea ingenii tarditas, nondum intelligo, quomodo bisyllaba meliorem edant, quam alia, sonum. Ridiculus es, inquit. Consule aures, & rem totam habebis. Tu, Magistelle me ridiculum? dabis improbe pœnas.

Carmen ridiculo canamus ore,  
Bardum in Grammaticæ scholæ Magistrum,  
Oestro qui Arcadico furens Crisaurum,  
Vatem ridiculum ausus est vocare.  
Iam haud Magister adest, abit, recessit.  
Ignosco tibi, iam redi Magister.  
Sed frustra voco; percitus furore  
Infelix rapitur, sonant flagella,  
Dat pœnas

Dat pœnas sceleris, Megæra cædit,  
 Ardentesque faces in ora quassat.  
 En nudus sine pelle iam redivit.  
 Sed cur auriculas habes aselli?  
 Dic quo Marsyam agis Midamque fato?  
 Chrysaurum fuge denuo lacefass;  
 Jnasanisse semel satis superque est;  
 Ni strictam cohibent lupata linguam,  
 Quod restat corii, miselle, perdes.

Sed iam aures meas consulo; verum ille negant se tam teretes,  
 ut bisyllaba mollius, quam polysyllaba in Pentametro adver-  
 tant sonare. Sed ecce alias Magistellus provocat ad eruditio-  
 rum aurium iudicia; Libenter vero, & quin iam imus con-  
 sulturi de sono aures? sed ne mihi iudicem inter Philomelæ  
 & Cuculi cantum Asinum statuas; non Midam protensis libera-  
 liter auribus instru&tum volo, sed virum eruditum, cui aures  
 animi sale & aceto doctrinarum lotæ purgatæque sint; quid  
 plura, non illum, ut supra dixi,

Bardum Grammaticæ Scholæ Magistrum,  
 Plenum ruris & inficeriarum;  
 In quo cum salis invenire non sit  
 Micam, se tamen usque & usque falsum  
 Nullo tempore prædicare cessat,  
 Et tanquam reliquus Catonis esset  
 Sanguis, in modulos meos frequenter  
 Sumpsit arbitrium, elegantiasque  
 Sermonis Latii, negans venustum  
 Quod non de Ovidio videt petitum,  
 Quod non de trivio videt petitum.  
 Viri haud nomine dignus, ast aselli.

Et quia de sono bisyllaborum Poetico disceptamus, Poeticas  
 quoque aures adire, & in iudicium adhibere necesse est. In-  
 terea lectores iudicate, an quidquam usquam his versiculis,

D

quos

quos modo referam, venustius, mollius, suavius, rotundius inveniri possit? Scaligeri quidem hi sunt:

*Candida Luteolis arrident lili i Calthis,*

*Luteola at violis Calthula pallidulis.*

Isti diversorum Poetarum, quorum nomina studio brevitatis omitto.

*Vivere desisto, vivere ut incipiam.*

*Quaque odor e nardo, quaque odor e casida,*

*Nulla tenent aures, nulla tenent oculos.*

Putatis ne eandem numerorum rotunditatem & stupendam concinnitatem e bisyllabis confici potuisse? quod si dubius quisquam vestrum hæret, consideret mecum istum versum desumptum à Græco.

*Vivam si vivet, si cadat illa cadam.*

tum ubi satis consideraverit, cum hocce conferat

*Si vivit, vivo, si moritur, morior.*

Eadem est utrobique sententia; sed numeri quantum discrepant! quanto plus veritatis hic ac concinnitatis habet illo! Quare melior? sono, inquam, trisyllabi vocabuli, quod male de sono nunc audit, non apud doctos Professores, sed apud Magistellos illos.

*Molestam scabiem Puellulorum,*

*Culum cædere, verberare doctos.*

*Torvo lumine, voce, fronte, naso.*

*Væ vobis pueri cutique vestræ!*

*O Gives adeone cæca mens est*

*Vobis! siccine liberos amatis!*

*Vestra & viscera, sanguinemque vestrum?*

Qui idem sonus an sit etiam quadrisyllabis dubitare nemo poterit, si cum bisyllabo illo versu, hunc conferat.

*Vivet, viva estis, occidit, occiditis.*

Equidem si verum fateri vultis, non tantum non meliorem, sed ne parem quidem iam fatebimini. Ne quid tamen forte

*deside-*

desideretur, nonnulla adiungam exempla, ut pateat, quam contra ius bisyllaba reliquis fuerint haec tenus prælata, nec prælata tantum, sed sola, cæteris deiecit. Non possum, quin exclamem, miseros versus! qui quicquid habent elegantiae à bisyllabis coguntur mendicare. Miseros Poetas! qui quicquid habent laudis; id omne ex bisyllabis conantur acquirere, reiecta stulte polisyllaborum maiestate & gratia.

O insulsi, fungi, bucones, atque pagani. Nunquam vos credam in bicipiti somniasse Parnasso, neque laurea unquam donandos apollinari.

- \* *Cui mens divinior atque os  
Magna sonaturum do nominis huius honorem.*  
non tibi, quisquis es, Ovidii mancipio atque Simiolo, cui si detrahatur Ovidii persona, quid tibi restat, nisi quod Asello Æsopico. Eum ecce tibi consecro, Magistelle

Quid mihi asine obrudis? Tibi non sum iniurius, ipsi  
Si te ipsum Sacro dedico, pono tibi.

### Afinus pelle Leonis indutus.

#### F A B U L A.

Cum nemorum venisset Asellus in alta, Leonis  
Exuvias cæsi repperit; induitur  
Illi; ad pastum sic personatus opimum  
Mox redit, atque ruens impete præcipiti,  
Lanigeros fugat ille greges, hirtaque capellas,  
Et cerebrosa boum corpora: cernit herum;  
Inque ipsum pariter ruit inflammatus. Herus sed  
Apprehensis Afini fortiter auriculis.  
O bardum, insulsumque animal scuticaque dolandum  
Dixit, decipias artibus his alios.  
Ast ego cum te intus norim, atque in cute dura,  
Et mihi Asellus es, & semper Asellus eris.

D 2

Sed vos

\* Horatius arte Poetica.

Sed vos ut iniuriam polysyllabis nostris illatam, iuste vindictis, attendite quæso porro, & an vere quod affirmabo, iam affirmem cogitate. Multas esse aio insignes & eximias sententias, quæ non alio numerorum, quam trisyllaborum, quadrisyllaborum & monosyllaborum genere exprimi possunt. Perpendite hoc distichon.

*Aut qua secretum illudit tremulis nemus umbris,  
Lymphaque muscosâ profilit e latebra.*

In priori versu verborumque, numerorumque tremorem apprehenditis, in posteriori lympham ex ipsa veluti scatebrâ profilientem videtis & auditis. Par & in hoc Catulliano numerorum ratio, ex quo illud à recentiore adumbratum.

*Rivus muscofo profilit e lapide.*

Claudianus.

*Magna repente ruunt: summa cadunt subito.*

Ruunt simul cum verbis ac vi sententiæ, caduntque hic ipsi numeri. Scribe

*Magna repente ruunt: summa repente cadunt.*

languet tota sententia, & numeri fiunt insipidi ac pueriles: Considera & hoc.

*Fraðaque anhelantes vox cadit in gemitus.*

numeri cum voce fraða cadunt. Similis ratio & in isto.

*Raptaque lascivi verba ferunt Zephiri.*

nonne ibi verba cum Zephiro per numeros auolant. Et in illo

*Fallor? an omne mihi cor salit ad strepitum.*

ipsi numeri subsiunt. Ex quibus patet, quæ & quam apta sit Pentametris natura trisyllaborum. Habent etiam peculiarem energiam in interrogationibus. Sannazarii istud est

— — — hunc tamen alto

*Christe vides cœlo, ( proh dolor ) & pateris?  
reponere in eius locum,*

— — — hunc tamen alto

*Christe vides cœlo, ( proh dolor ) atque finis!*

continuo

continuo languidum & invenustum fit Epigramma, ac prorsus corrumpitur. Quid de admirationibus dicam, in quibus trisyllaba stupendam vim & potestatem habent? Nam in hoc disticho.

*Miretur iaculos celeres Lybiæ incola: virus  
Dii magni, quanto maius habent oculi!  
poterat captari bisyllabum in hunc modum  
virus*

*Dii magni, quanto lumina maius habent!*

Verum longe aptior trisyllabi sonus admirationi declarandæ visus fuit, & revera est longe aptior: quod pluribus exemplis docerem, nisi iam manifesto ex his persiceretis trisyllaba vocabula non modo Pentametris ad res apte describendas idonea, vel utilia, sed etiam necessaria esse, quandoquidem tam multa sunt, quæ non possunt aliis, quam trisyllaborum numeris commode reteque declarari. Quadrisyllaba etiam iisdem fultus rationibus potior censeo bisyllabis atque optime in Pentametris collocari. Certe ad palatum omnium Eruditorum sunt hi versus.

*Et nondum veris ignibus incaluit,  
Deque tuis nectar fugere carminibus.*

atque his similia; nec vero id temere aut casu scribunt veri Poetæ, quando non tam supine & oscitanter in hoc studio versantur, ut dummodo versus repleant, non considerent etiam, quæ verborum sit melior connexio, qui situs & dispositio pendum magis sit conveniens. Sed heu! aliter nunc fieri videmus: dum totum istud, quod poetari vocamus scholasticum nescio quid, & otiosus puerorum lusus putatur. Ita enim præpostero plerique iudicio nunc censem ludicram esse Poeticam artem, & pueris etiam, vel nescio quibus de trivio Magistellis, secretissima sacratissimaque illa Musarum penetralia patere: quæ gravissimi quondam ætate, prudentia & doctrina Viri frequentavere.

Poeta-

Poeta bantur quin ipsimet Reges, studia hæc nostra tutabantur,  
& qua pote provehebant.

Pars quota nunc latiæ curat modo sacra Minervæ?

Cui cordi Musarum inclyta sunt studia?

Quis Sacros Vates & Phœbo digna locutos

Protegit, & grato detinet hospitio!

Nunc ubi Mæcenas Pater & Zamoscius artium

Maximus ille armis, Maximus ille Togâ?

In decus antiquum qui restituit prostratam

Sarmatiam, hinc armis, artibus inde bonis?

Qui nunc divitiis pollent & honoribus! an qui

Aurea sectantur munera Pieridum,

Et qui antiquorum recolentes scripta Virorum

Se Sophiæ in sanctis involvunt latebris?

Nil minus infelix ætas si te ista tulisset

Simonide, Virtutum omnium acerba cinis,

Non te donandum titulo vulgaret Equestri,

Qui nunc Lecheræ sceptræ tenet Themidos:

Hæc siquidem veteres ætas oblita labores,

Nil nisi quæ pingui Pallade deblaterat

Bartolus, aut spurco Baldus sermone pedes ter

Æstimat, atque alios, quos puder eloquier.

Hinc Musis præclusus honos, non ulla laborum

Hinc ratio, hinc nulli præmia proposita

Doctrinæ, & studiis merces ablata bonarum

Artium, & earumdem grande prius columen

Heu Procerum cecidit larga & prolixa voluntas!

Nilque adeo, quo se iam tueantur, habent.

Haud secus ac Scythico Gothus cum fusus ab amne

Barbarus eversâ funditus Ausoniâ

Urbem ipsam savis tenuit (proh dedecus) armis,

Pressit & obsecno libera servitio

Italix colla, & pulchris procul artibus actis,  
 Invasit fœdans omnia barbaries.  
 Quemnam igitur deinceps iuvet ardua culmina Pindi,  
 Atque sequi fontes vertice difficiles?  
 Quemve & Apollineâ circumdare tempora lauro,  
 Ora caballinâ proluere & scatebrâ?  
 Quem penetrare iuvet natura arcana latentis  
 Mensurisque suis corpora dividere!  
 Quemve orbem solisque vias percurrere mente;  
 Unde tremor terris, unde polo tonitus,  
 Unde procellosum surgat mare, moxque residat,  
 Quid quatiat cœlo lampadas horrisono,  
 Unde nigror solis, cursu quid deficit ipso,  
 Luna cruentato pieta genas minio.  
 Nil laudis titulique ferent, nihil utilitatis,  
 Qua se sustentent, Vatibus ista sacris.  
 Quare age, multi aiunt, misero quid carmen Alumno  
 Quidve dabis testudo aurea, mellifluum  
 Dœnatura sonum vel mutis piscibus? eheu!  
 Nil nisi plena dolis verba dari aspicimus.  
 Nempe pruinosis horret facundia pannis,  
 Sunt tentandæ alio tranite divitiæ.  
 Hæc ratio multos cogit valedicere Musis,  
 Et flocci cætus ducere Pierios,  
 Idque potissimum eorum crimine, Publica quos res  
 Deligit ad supremum imperii Regimen.  
 Tu tamen in restis studiis Lechæa Juventus  
 Esto usque intrepido pectori, nec quid agant  
 Ignavi Proceres ad debita præmia pigri  
 Sit cura, ast homines quid facere, atque sequi  
 Conveniat, quos sola movet fax mentis honestæ  
 Gloria, & egregiis laudis amor stimulis.  
 Nam

Nam sua virtuti quamvis non præmia dentur,

Per pulchrum virtus ipsa sibi pretium est.

Venio num ad monosyllaba, quæ ut scitis pentametrum ingredi nolunt, nisi vox item altera monosyllaba ultimam præcedat. Ut in hoc versu Ovidii,

*Præmia si studio consequar ista, sat est.*  
quod quidem ego valde probandum censeo. Est enim sicut in trisyllabis, ita in his peculiaris quædem facultas ad interrogandum. Qui non penitus naris obesæ est facile ex hisce exemplis animadvertis.

*Ex his, qui vivunt, nullum probat Avila vatem,*

*Cui nemo bonus est, quis precor huic malus est.*

Item

*Heu mihi cur ludus tam vetus hic novus est?*

Postremo

*Congrua sermoni verba latino ubi sunt?*

Monosyllaba apte collocari in Hexametris nemo non scit. Nulli ignotum illud Virgilii

*- - - procumbit humili bos.*

In mea ad Eq. Valenti: Elegiā succurrit exemplum.

*Nobis rauca negat pretendere se in sonitum vox,*

*Ægrè & verba suos inveniunt numeros.*

Quorum similia proprio quisque studio in Poetarum lectio-  
ne observabit. Nes hæc adduximus, ut pateat quam superbe  
& crudeliter novi Romuli isti litterarum Tyrannos agunt in  
Poesi Elegiaca. Percepistis iam satis copiose tum ipsam Ele-  
giarum naturam, tum ea, quæ ad illius optimam constitutio-  
nem facere nobis est visum; quod si non satis clare explicavi,  
id ne toti causæ mæ noceat, ad extremum accerso varieta-  
tem. Est enim Poeticarum virtutum maxima. Iam quid magis  
varietati adversum, ac proinde fastidii plenius quam eodem  
semper modo scribere, nusquam ab incepta æquabilitate recedere.  
Dicant mihi bisyllabarii Poetæ, quid eorum palato insuavius,

*quid*

quid stomacho inimicius, quam eodem ferculo perpetuo saburari, & ad nauseam oppleri. Hoc non illi tantum, sed & ipsorum vasta loquntur cænacula. Nonne idem animo accidat ex insipida versuum eiusdem saporis copia. Quatuor sunt Poeseos animæ, venustas, nervus, candor, numerus. Pulcherrimum Scaligeri tractatum quarto Poetices libro consulant Bisyllabarii. Ego de numero sic argumentor. Cum sit anima ille Poeseos, nequam barbarico contemptu est negligendus. Meminerint Magistelli versiculi illius Horatiani.

*Ridetur, chordæ qui semper oberrat eddem.*

Magnam habet cum Musicâ Poësis affinitatem, quin imo Poësis musica est, & quædam saltatio. In saltatione autem, quid inventius, quam in staticulis iisdem pedem ponere, eundemque saltatorium orbem versare semper? Quod in saltationibus est membrorum agilitas, in versibus est numerorum varietas. Vos comparationem hanc latius extendite. Mihi neque fidibus canere, neque saltare iam est integrum, Juvenes Nobilissimi: sed cursu celeri ad aliud proprio argumentum, quod mihi ab oratoria arte suppeditatur, quæ circa numeros etiam non leviter occupatur; orationes enim licet versuum legibus non sint adstrictæ, numeris tamen suis vinciuntur, ut in aures auditorum molliter & suaviter influant. Id Rhetores in initio periodorum, sed in fine maxime spectant. Quo nomine Cicero tot in locis, *numeros non eodem modo, sed varie concludendos præcipit.* Si hoc in orationibus, quanto magis in Poematis fieri debet? ubi iam sunt illi Bisyllabarii? quid mussant? fatentur ne se viatos? nec iam amplius resistunt? aut prohibent, quo minus cum Scaligero statuamus in *Elego Pentametro* libertatem esse cuiuscumque modi, cuius exempla omnis generis comperiantur. Verum illi veluti Antæi sunt, qui nec viatos se esse volunt, ubi terram momorderunt: opus est omnino Hercule ad eos extinguedos. Congrediamur adhuc semel, & quid valeant, experiamur. Fluidos, inquiunt, oportet esse Elegiacos

versus. Elegiarum quam tu aduers ratio, aspera, hiulca, confragosa, nec sani coloris est. Instar rivuli mollissime fluentis per prata Elegia decurrere debet. Tu eam duriorem reddis, & Euripum ipsum imitari vis. Non faciemus. O nugatores! metuebam quorsum evaderetis. Scilicet

Quodcumque argutum doctis lepidumque vocatur,

Grammatici inlepidum frigidulumque putant.

Quod vero insulsum doctis fastidia movit,

Grammatici laudant, mirificeque probant.

Quæ sit causa peto? respondet Phœbus Apollo,

Florum gluten apes, carduum amant Afini.

Et o revera stultæ mentis asinos, atque iniquæ, qui pro fluidis versiculis fluxos nobis & languidos obtruditis. Elabuntur quidem ex auribus, neque sui vestigium relinquunt ullum, nusquam hærent, sine aceto, sine sale toti sunt. Rationem mihi reddite, cur nostra Elegiarum ratio aspera, hiulca, confragosa, neque sani coloris vobis videatur. Nonne ex intima Elegiarum natura, constitutionem eduxi? nonne quæ affirmavi, firmiter comprobavi? Ergo iterabo? Ego vero id non faciam. Id unum tantum addam, quod olim nescio, de quo dictum legimus: *Peccare eum, quod nihil peccaret.* Et quemadmodum Martialis de fæminarum munditia, & nimio unguentorum studio scripsit.

*Fæmina non bene olet, quæ bene semper olet.*

Sic ego pronuncio de vestra fluidâ venâ.

Non bene vena fluit, quæ bene ubique fluit.

Etenim ut mulierum pulchritudo, non in perpetuo cultu, sed simplici apparatu consistit; Ita verus Elegiarum decor, non ex ornatu nimio, quem Nasonis Simioli isti nasutuli adhibent, & exquisita illa pedum æquabilitate, quam illi fluidam venam putant, ego fluxam, sed apta rerum, verborum, numerorumque inter se legitime dispositorum concinnitate pender. Videmus in picturis id nobis accidere, ut, si diu pulchram imaginem fixis

oculis

oculis intueamur, obsordescat illa visui nostro, at tandem fastidium pariat. Idem in animo eveniat necesse est, quem si diu in unius rei nulla varietate distinctæ detineas, an censes illum delectari magis, quam cruciari? Videmus proinde pictores non venustas semper imagines, neque colore semper uno depingere, sed apponere etiam exesas rupes, diruta palatia, columnas dimidiatas, piramides truncas. Ad istum modum in Elegiis, non unus semper rei color, non una facies oculis lectorum obiicienda; sit oratio mollis modo, aspera etiam, ut res ipsa feret. Interdum leniter ac placide fluant numeri, interdum, ubi opus sit, rapido cursu intorqueantur, obhærescant modo, modo in orbem circumagantur, modo celerius, modo tardiuscule decurrant. Quæ omnia cum satis copiose demonstrata sint ad finem perducta esse videtur, hæc omnis de pedum Elegiacorum ratione, & soro numerorum disceptatio; in qua quominus finem faciam, Ovidii facit autoritas. Hic igitur, quam potero breviter de re sic agam, ut liquido appareat, neque Ovidium esse Principem Poetarum Elegiacorum, neque tantum habere auctoritatis, ut quia solus ipse solis bisyllabis semper est usus, eo ipso facto necessitatem nobis imponat, ut reiectis polysyllabis bisyllabis tantum utamur. Hoc præmitto, me Ovidium facere maximi; sed quod ipsius simiæ detraetum aliis contra fas Ovidio addiderunt, id detrahā ego vicissim illi, & suum cuique reddam. Sic ergo ratiocinium meum instituo, & quidem in forma Logicali, cum mihi res sit cum Magistellis,

Indixere mihi Bardo, qui bella tumultu,

Atque canunt tardi classica more Asini.

Quid faciam? dem terga? quid o bardissima turba?

Si volo, mors unus, mors tibi, Jambus erit.

Poetarum Elegiacorum illum Principem statuere & fateri debemus, qui carminibus suis ipsam Elegiarum naturam optime expressam repræsentat, atqui Ovidius dum genio suo nimis indulget, procul à vera, quam sequi debebat, Elegorum natura

discessit; ergo &c. Sed extra formam. Quales Elegia esse debeant, iam demonstravi; quales sint Ovidii Elegiae iam ostendi. Nihil ergo opus est longam instituere comparationem. Aut igitur quæ de carminis Elegiaci constitutione, attuli, falsa erunt, quæ falsa esse non possunt, aut Naso, quem haec tenus Principem Elegiacorum Poetarum statuerunt Magistelli, Princeps non erit; cui tamen omnia me tribuere profiteor, præter summum inter Vates Elegiacos locum. Scio Ovidium esse plane admirabilem; addo etiam nulli imitabilem: Admirati sunt omnes; imitati sunt multi; nemini successit. Hoc denique affirmo, si quis Nasonem imitari possit, imitari tamen eum non debere. Cuius causam, ne toties inculcem, vos ipsi iam novistis. Valeat ergo Ovidii auctoritas, qua sola tabernarii isti bisyllabarii nituntur; Vincat ratio. Utatur more suo Ovidius bisyllabis, nos more nostro, id est cum ratione, monosyllabis, trisyllabis, quadrisyllabis, & aliis utamur vocibus, quas natura carminis Elegaci requirit. Relinquamus Ovidio suam venam. Rationem nos optimam illam in omnibus ducem perpetuo sequamur. Tribuamus aliquid Ovidio, sed plus aliis; Catullo dico, Tibullo & Propertio, quos certare inter se de principe loco videmus. Ac de Catullo, ut prius agam, tantum ab eruditis omnibus adeptus est laudem, ut Docti cognomine passim donaretur; Martialis unum hunc sibi audacter præponi voluit.

*Nec multos mihi præferat Poetas,  
Uno sed modo sim minor Catullo.*

Aulus Gellius in noctibus Atticis Catullum *elegantissimum, mundissimum, venustissimum* asserit; à quorum iudicio discedunt huius ætatis insulsi Magistelli, à quibus aut omnino improbantur Catulli versus, aut ut hiulci, duri & confragosi censentur. Contra quos sic insurgo.

*Et potis est quisquam docto obtrectare Catullo;  
Inque venustum illum dicere, & illepidum!*

Id nempe

Id nempe hâc audent ætate, nec unus & alter  
 Sarmatia in magna, verum alii, atque alii,  
 Rursus ab his alii, laudant ut cætera tanti  
     Vatis, non illam in carmine scabritiem.  
 Idcirco curant Elegos cum fingere versus,  
     Nasonis solo ex fonte petunt numeros.  
 O seclum insipiens, cui sit Rhamnusia Virgo,  
     Cuique sit iratus carminis ipse Pater!  
 Tu haud secli hoc vitio *Lechæa* ferere *Iuventus*,  
     Non si quis laudis incaluit stimulis.  
 Ipse facem unus nobis præferat ad iuga Pindi,  
     Seu placeat Jambos, sive Elegos facere.  
 Nam neque nativis verbis est purior alter,  
     Nec plus largifluo fonte scatet Venerum,  
 Seu canit Heroum laudes, clarosque hymeneos,  
     Sive tuum, Peleu, nobile coniugium.  
 Sive iocos agitat, vel amaros mittit Jambos,  
     Seu duram aggreditur flectere Lesbiolam.  
 Quare mi sanguis cor circum accenditur igne  
     Plurimo, & ex toto pestore discrucior.  
 Hac quod Regione Virum vulgus, Iuvenumque  
     Qui laudem instituunt quærere carminibus.  
 Unde, unde ingressum hunc quærunt, exempla petuntque  
     A quovis alio, ut cuique magis volupe est,  
 Unum prætereunt, Phœbo indignante, Catullum,  
     Nec scio qua Genitor Juppiter id toleret.  
 Quid fieri hoc dicam, paulum permitte Musæ,  
     Dissolvam mæsti cordis amaritatem!  
 An quia non placet is, vel quod minus illa probatur  
     Condendorum Elegorum & ratio atque tenor?  
 Verum hoc est illis miserum; ut miserum ægrotanti est,  
     Cui sapit esca malam dulcis amaritatem.

Esurit

Esurit & pupus despecto acipentere pomum :  
 Omne adeo exiguâ in mente perit pretium.  
 Vel si Phidiacum marmor spectaret agrestis,  
     Quod Iove sub duro longa dies tetigit ;  
 Ipsam etiam ex Indo Tritonida dente politam  
     Cui clypeus sculptis asper Amazonidis,  
 Terrigenasque gerit Fratres ccelum affectantes,  
     Centaurosque graves sunt Lapithæ in soleis ;  
 Illico præteriens obtutus declinaret  
     Indocilis, quantæ cerneret artis opus !  
 Græcia quod cupide tota olim prospectavit.  
     Si par iis ratio est ; hoc magis est miserum.  
 An labor ingens, & magni res plena pericli  
     Se vocat à laude hac carminis ingenia ?  
 Insuetum quod iter visus tenuisse Catullus,  
     Quod vix fas tetigisse est hominum pedibus.  
 Sed quid non potis est hominis labor, & studium, & mens  
     Eius, quem possis dicere magnanimum ?  
 At vos interea à docto quoscumque Catullo.  
     Fex mala Grammatici sevocat Asebii,  
 Nil mihi vobiscum est, incommoda seculi abite,  
     Tuque veni in nostras usque Catulle manus.  
**Hui!** exclamat Magistelli. Ne tu simius es Catulli, qui tam  
 feliciter ipsius scabritiem aucuparis, eius stercora colligis, eius  
 demque amarulentiam liberaliter nobis propinas ? Cave sis in-  
 terea, ne & tu quoque *Ibidis* \* nomen habeas. Et nos remor-  
 suros scias, & scenum habere in cornu. Splendide mentiti estis.  
 Non in cornu, quo si est insigniti, inerme illud est & sine istu,  
 sed in ore potius scenum, lappas, tribulos, carduos habetis, qui  
 tam dilucidis & apertis rationibus obniti adhuc & resistere au-  
 detis. Nihil igitur quidquam apud vos profeci ? ergo quæ di-  
 eta sunt semel, iterare sæpius ac repetere cupitis. Ego vero si  
 id faciam,

*In felix*

\* Ovidius in Jbin. Ibidis interea tu quoque nomen habe.

Infelix operam deperdam, \* ut si quis Asellum  
 In campum doceat spatiōsum currere frāno.  
 Itote ad vestros carduos, aut fuste dedolati referetis hinc pedes.  
 Huc huc o Musæ hi flagris cædantur aselli,  
 Et sint grata Deo vi&ltima Lampasidæ.  
 Cur cessatis Agannipides; subito arma parate,  
 Et Socius Vatum perfremat arma chorus.  
 Audistis bardos fremitus crepitusque Magistrū?  
 Inie&gt;tis calcant (proh scelus!) ut pedibus  
 Inscriptos Pindo versus; ipsumque Catullum  
 Dile&gt;atum Aonis in dente petunt stolido!  
 Et cessatis Agannipides! arma, arma parate,  
 Arma Poetarum perfremat arma chorus.  
 Mox densis bardas pecudes circumdate turmis;  
 Atque hinc, atque illinc, labra oculos, p&gt;edicem  
 Pungite, figite, dilacerate, plagas duplicate,  
 Ut dura cute sint, spicula vestra tamen  
 Sentiet Asebii bardissima tu&gt;ha Magistri,  
 Atque capistro aveat reddier, atque mol&gt;x.  
 Venio ad Tibullum, qui ab omnibus culti epitheto censetur.  
 Quintiliano etiam summo iudicio Viro terfus atque elegans vi-  
 sus fuit, sed esse tamen, inquit, qui malint Propertium. Divini  
 Scaligeri hæc eadem est sententia, cui me subscribo. *Tibullus*  
 inquit *cultissimus, sed uniformis pene totus, & à seipso vix discedit,*  
*Propertius vero facilis, candidus & vere Elegiacus est.* Auditis de  
 Propertio, quid affirmet? *Vere Elegiacum* inquit. Nemo autem  
 non scit Propertium clausisse Pentametra multisyllabis numeris,  
 quos idem Scaliger *molliusculos & mollitudinis alumnos* vocat.  
 Quod si Propertius vere Elegiacus est, nonne stabilitur illa,  
 quam ego ha&gt;tenus tradidi numerorum ratio multisyllaborum?  
 quos de industria quæsitos electosque veri Poetæ adhibent, quod  
 & in multis locis ipsummet Tibullum fecisse facile persuadeor,  
 & vobis æqui lectores me facili negotio persuasurum puto. Si  
 \* Horatius. lubet

lubet in rem præsentem veniamus. Atque ecce in secundo libro istos Pentametros.

*Bellica cum dubiis rostra dedit ratibus.*

*Abdita quæ senis fata canit pedibus.*

*Troica qui profugis sacra vehis ratibus.*

Istos, inquam, versiculos retentis iisdem verbis atque in finem reiectis bisyllabis, hoc modo interpolate.

*Cum dubiis ratibus bellica rostra dedit.*

*Quæ pedibus senis abditæ fata canit.*

*Qui profugis ratibus Troica sacra vehis.*

Non animadvertis quantum iidem versus iisdem vocibus, numeris tantum alijs affecti, quantum à priori sono & Venere degenerarint, allato hoc bisyllaborum suco? vel hos duos adhuc videte.

*Et madefacta meis sarta feram lacrymis.*

*Neve neget quisquam me duce, se Comitem.*

Retinete verba, dispositionem numerorum immutate in hanc formam.

*Sarta feram lacrymis. Et madefacta meis*

*Se Comitem quisquam me duce neve neget.*

Nonne aures dolent tam eximia soni se privari voluptate? Idem accidit in quadrisyllabis.

*Unda Deum cælo miserit indigetem.*

In hanc faciem scribitote.

*Indigetem cælo miserit unda Deum.*

Omnem fere simul ornatum detrahitis. Ad Propertium redeo, qui rationem habuit pedum & numerorum accuratissimam, ut siquid vel levissime transponas, in concinnitatem subito pecces vel gravissime. Perspicuum tribus faciam exemplis. Propertii hi versus sunt.

*Sed quos ipse suis fecit amor manibus.*

*Semper vive meo libera iudicio.*

*Et terram.*

*Et terram rumor translit & maria.*  
 sic inverti possunt.  
*Sed fecit manibus quos amor ipse suis.*  
*Judicio semper libera vive meo.*  
*Et terram rumor translit atque mare.*

Nihil immutavimus, nisi in versu postremo duas voces, & evanuit omnis versuum prior elegantia, versaque sunt numerorum illarum deliciarum in rusticis, cum Catullo loquar, inficietas. Quam obrem Catulli, Tibulli ac Propertii auctoritas, & haec tot exempla multorum instar argumentorum vobis esse debent, ut numerorum supra traditam rationem eo veriorem, certioremque iudicetis, nec in scriptis vestris eadem uti, vel tantillum vereamini, licet Magistelli, vel rideant, vel ringantur, atque etiam rumpantur universi.

*Asebiūm nasus sit regula Grammaticorum,*  
*Stultius hac nihil est & sapidiputius.*

Retineant Asebii Deum suum Nasonem. Vos rationi & eius certissimis argumentis obtemperetis; muniatis vos auctoritate Catulli, Tibulli ac Propertii, quos illi fortassis nec legere quidem & aspicere dignantur.

*Usque adeo bardi, stulti stolidique, Midæque*  
*Digni sunt, Phœbus quos similes faciat.*

*Alterum at interea permulcat laudibus alter,*  
*Nempe fricant, scitis, sic Asinos Asini.*

Obrudant per me licet, donec stupidissimam agant animam. Ego certe non moveor eorum maledictis quidquam.

*Dum Asebii me nigra tuo fæx impetis ore,*  
*Atque notas theta carmina nostra nigro.*

*Vis quod stulta facis, quid sit tibi dicere pergam?*  
*Illud quod tardi nempe Asini facere*

Dum rudunt soliti, geminent quantum libet hiha,  
Non tamen ad Superos permeat hijha polos.  
Dicam porro cum Martiali.

*Si me laudasset, læserat illa magis.*

Sed iam fumum etiam creabo acerbiorem, ut illis oculi doleant vehementius. De Catullo, Tibullo, Propertio, retuli iudicia veterum. Addam, quid de Ovidio senserint veteres, quos certe sine affectu iudicare potuisse, non est negandum. Ac præcipue ab omnibus Ovidio obiicitur fatalis illa ingenii luxuria, quam nunquam cohibere valuit. Hinc Fabius nimium ingenii sui amatorem vocat, ut *indulgere illi maluerit, quam imperare.* Scaurus apud Senecam Declamatorem inter Oratores Ovidium vocare solitus fuit, addiditque, *non minorem esse virtutem scire desinere, quam scire dicere.* Sed non posse Ovidium, quod bene cesserit, relinquere. Hæc pauca satis sunt ad Veterum de Nasone censuras & iudicia declaranda. Valeant ergo Ovidii Simiae, qui se omnes laudum numeros implevisse, seque beatos arbitrantur, cum Elegos bisyllabis vocalis concluserunt, cum una pertica omnes Pentametros dimensi sunt. Quare sua opinione meri sunt Ovidii, sed mea, Musarum carcjnomata & vomicæ; Hinc chartas frigidis illotis, scabiosis carminibus, pene criminibus dixeram, complent, ut fiat illud Satyrici.

*- - - misere vitia papyrus*

*Carnificem stulto compleditur ordine versum.*

Ja&tent se illi Ovidiani carminis Artifices,  
Artifices possum hos dicere Carnifices,  
Carmina quotque cacant, tot sunt mihi nomine verso  
Crimina.

Vos, utin illorum numero, ne sitis, Juvenes Poloni, omnes ingenii nervos contendite. Quod, si feceritis, Musas habebitis propitijs, & Apollo sponte vos in Parnassum suum semotis omnibus viæ difficultatibus & angustijs, deducet. Facietis autem id recte, si non somnolenter & supine, quemadmodum Magi-

stelli

stelli illi poeticam artem tractetis, & quæ de vera hac tenus Elegiarum naturâ, deque optima carminis Elegiaci constitutio- ne differui, in lectione veterum Elegiographorum, deinceps ob- servetis, & in scriptis vestris ad usum transferre nequaquam dubitetis. Eiusdem ac ego sententiae fuit, Leopolienis vester Si- mon Simonida, Magni Jo: Zamoscii Secretarius, quem Justus Li- psius, sui saeculi Varro, inter doctorum ac bonorum Virorum apices posuit.

*Non tam Hypanis Veneto dissidat Eridano.*

Quantum Simon Simonida ab illa Ovidianorum heresi longe re- cessit in suis divinis Elegis, quos idem Lipsius, eruditos, antiquos, suaves, & numeros ac phrasim Catulli habere pronunciat. Habetis Conci- vem, quem imitemini, Juvenes Poloni, quemque ut liceat vobis

Nocturna versare manu, versare diurnâ,

Unicum illud exemplar Bibliothecæ Zaluscianæ, Zamosci impressum, anno MDC.II. ab Andrea Janocio Can: Kiovensi dignissi- mo eiusdem Bibliothecæ Custode, Viro apud litteratos conspicuo, mutuo mihi traditum, ad Polonici nominis gloriam, vestramque utilitatem denuo typis committere constitui. Simonidæ vero vestro Socium addere visum est nostrum Raymundum Cunich, eloquentiæ in Romano Loiolitarum Athenæo Professorem. Non pomum pomo, non ovum ovo magis simile, quam Cunichius noster Simonidæ vestro.

Namque facit, pol Cunichius cognata Catullo  
Carmina, quæque idem duxerit ille sua.

Quæque ego iurarem & quivis uno edita partu,  
Ni æstatum facerent saecula dissidium.

Hunc ego suspicio multis in millibus unum,  
Multæ nec ornando millia sufficiunt.

Huic ego Viro clarissimo, antequam ab urbe discederem Varsaviam concessurus, sequens Hendecasyllabum scripsisse memini.  
 Ineptus fero noctuas Athenas,  
 Et poma Alcynoo, lyramque Phæbo  
 Et spicas Cereri, Pali & recentis  
 Laetis cymbia, retia & Diana  
 Floræ lilia, vineamque Baccho,  
 Qui Tibi lepidissimo Poetæ,  
 Cunichi venerande mitto versus,  
 Quamvis nec lepidos, nec elegantes  
 Atque omni sale, gratiaque nudos;  
 Sed ne rusticulus nimis Poeta, &  
 Ingratus videar, tibi has repente  
 Nugas illepidas & inficetas.  
 Scripsi pessimus optimo Poetæ,  
 Ut nostri monumenta sint amoris,  
 Erit qui penitis mihi in medullis  
 Fixus, Sarmatiam licet nivalem  
 Petam, Vistula stat gelu qua acuto,  
 Tergo & sustinet unda stricta currus  
 Plaustris hospita, quæ fuit carinis.  
 Memor semper ubique & usque suavis  
 Tuæ amicitiæ, tuæque laudis.  
 Semper te reminiscar, atque semper  
 Tuumque ingenium tuasque Musas,  
 Dum vivam, celebrare me iuvabit.  
 Sed iam

Sed iam abrumpo styli luxuriem, & coronidem impono huic-  
ce disceptationi, in quâ, si prolixior fui, quam debui, impu-  
tabitis id, iuvenes æquissimi, materiæ amplitudini, cui parem  
sermonem nostrum oportuit esse: vel si à proposito longius ali-  
quando recessi, cogitabitis me ad alia, quæ nostræ disputatio-  
ni affinia erant, sic fuisse tractum;

Non secus arcanis Lydorum effossus in agris  
Herculeus lapis, aut cautes Marpesia ferrum  
Fundit in oppositum leges; vi percitus illâ,  
Cogitur in Lapidem connitier annulus ultro,  
Et socios secum perducere; ferrea donec  
Ordine demiso conserta trilicibus hamis,  
Flebitur in longum nexus pendente catena.

Non aliter ego ex una disputatione incidi in aliam vicinam,  
ut rei toti, quatenus possem, omni ex parte satisfacerem. Quod  
si acrior, quibusdam & vehementior in malis opinionibus Poe-  
ticulorum insectandis visus sum, ii sciant me iusto dolore com-  
motum, ea protulisse, quæ ab aliis audire maluissent, ut miseri-  
am Scholarum declararem, atque istius temporis infelicitatem.  
Certe qui litteras amant, & bonis litteris consultum cupiunt,  
non possunt hos Magistellos Musarum Carnifices amare, sed ex-  
treme, quotquot sic docent, odisse debent, & ut e suggestu  
deliciantur, adiuvare. Quod etiam profecto nisi fit, ut Viri  
Magnates & docti coniunctis animis illorum inscitiae obviam  
quamprimum eant, actum erit de studiis litterarum, atque ista  
nobilissima & vastissima Regio, quæ tanquam fœcunda Genitrix  
illustres edidit Hosios, Zamoscios, Simones Simonidas, Cochano-  
vios, Sarbievios, Lubienios, Naruscevios, totque alios insignes  
Viros, quasi tassa & effæta infelici nixu parturiet Chœrilos, Mævi-  
os, Bayios, Asebios.

Sæcli

Sæcli incommoda, barbaros Poetas,  
 Inanes vacuosque litterarum,  
 Insulsos homines & inficetos,  
 Quorum Carmina nec legunt cacantes,  
 His se tergere, qui solent cacantes.

Ad me quod attinet, volui quidem opera mea aliquid afferre  
 hisce studiis adiumenti. Quid effecerim, iudicent Poloni illi.

Qui afflati propiore Deo & divina sonantes,  
 Commune haud feriunt carmen triviale monerâ,

non spurii Magistelli, qui neque primis Iabiis, dulcissimos Par-  
 nassi fontes degustarunt, reieci à Musis, atque ablegati ad fœ-  
 ðos lacus, in quibus ranas habent Musas, quarum cantus adeo  
 celeriter addiscunt, ut versibus suis assidue coaxantes ipsas ra-  
 nas magistras importuno stridore superent, & nunquam des-  
 nant molesti esse auribus Eruditorum.

F I N I S.

SIMONIS

SIMONIS SIMONIDÆ

ELEGIACA MONUMENTA

*id est*

H E R C U L E S  
P R O D I C E U S

A D

THOMAM ZAMOYSCIU M

MAGNI IOANNIS F.

---

I M A G I N E S

D I Æ T Æ Z A M O S C I A N Æ

*a d*

JOANNEM DUCEM in OSTROG

Juxta Exemplar Zamoscii impressum

à MARTINO LENSCIO

Ac d. TYPOTR. MDCII. & IV.

SELECTA ILLUSTRIUM VIRORUM  
DE SIMONE SIMONIDA LEOPOLITANO  
TESTIMONIA.

## I.

*Ex Justi Lipsii Epistolarum Cent. V. Epist. LVII. pag. 56. \**

SIMONI SIMONIDÆ. *In Poloniam.*

**L**itteras tuas, & quod librorum adiunctum fuit, nimis libens legi. illas, ab humanitate & affectu mei, quem spirabant; istos ab eruditione variâ, quam præferebant. Ego mi Simonide, ut de affectu dicam, pretium laborum meorum censeo à talibus amari: id est à doctis, bonis, quorum inter apices te pono. ut fama mihi non dixerit (quam & hic habes) unum illud carmen tuum *in Imagines Zamoscianæ diætæ* approbet: quod, ita me Deus, eruditum, antiquum, suave est, & numeros ac phrasim Catulli, ac veterum illorum habet. Maëste! spondeo tibi, paucos in Europâ esse (& est ingens Poetarum copia, ut apum) paucos, inquam, qui meo quidem sensu sic scribant. Iam illa Stoïca, quam putas ipso titulo & argumento blandita esse? quid cum cœpi legere, tam multa è Græcis Latinisque, & remotis etiam auctoribus petita: sic adaptata & nexa, subtiliter explicata: quam putas, inquam animo affectum & motum esse? Amo illam seclam, & conatus sum producere, ut vidisti: sed hanc Logicam partem reformidaui pœne tangere, vix otii, certe non languoris huius mei. Gaudeo illuc factum à Bursio, & sic erudite factum: à Bursio, an vis me magnum \*\* illum Heröem vestrum inscribere, quod vix ulla ætas credat? Virum in

tot

\* Antverpiæ ex Officina Plantinianâ apud Viduam & Filios Jo: Moreti,  
clo. loc. xi.

\*\* Joannes Zamoscius Magnus Cancellarius.

tot, & tam arduis occupationibus, regni Atlantem, sustinere & has litterarias curas ac lucubrations posse? Diuinum ingenium dicendum est, in admirationem æui, vix in exemplum (quis enim imitetur, vel ausit?) datum. Diu nobis viuat, quem toto animo suspicimus & colimus: diu tu tali patrono felix, mi Simonide, flore itemque viue. Louanii, VII. Idus Nouemb. 16.

Iocimi.

## II.

*Ex Simonis STAROVOLSCII Centum Illustrium.**Poloniae Scriptorum Elogio & vita. pag. 131.*

## SIMON SIMONIDES.

**M**Agni Io: Samoscii Secretarius. Leopoli in Russia natus, puer domi, adolescens in Acad. Crac. melioribus artibus imbutus, primâque Philosophicâ laureâ, vna cum Nicolao Dobrociescio, sub Decano Anselmo Bodzentinio, ornatus, brevi in Italiam, quæ felicissima opinia ingenia inclusit, profectus, babit è sacrâ illis pectoribus Clavii, Vitellesci, Moreti, Molinae aliorumque, hianti ore abditæ doctrinæ fontes adeo, ut in patriam reuersus, paucos sibi æquales haberet, neminem autem, qui maiores illo latentium litterarum gazas in pectori gestaret. Quas vbi primo obtutu Magnus ille Heros in eo reconditas pernouit, statim virum sic adamavit, ut nusquam eum postea à se dimiserit; sed ornatum beneficiis etiam in aula Principis ita promoveret, ut & baltheo equestri, cum aliis virtute illustribus viris, ob egregias animi dotes, ornandum curarit, atque paulò post lauru Poetica à Clemente VIII. Pont. Max. quod solus fere, Magni Lipsii iudicio, sua ætate poëtas, usque ad inuidiam veteris sæculi, eruditione superarit; idque non in phrasî tantum, aut numeris poëticis, in quibus eum Catullo similem facit, ve-

G rumetiam

rum etiam in omnis generis scientiarum cognitione. Cuius rei fidem faciunt scripta, varia de re, varioque carminum genere à se conscripta. Ac primum *Naenia in obitum Jacobi Gorscii & Stanislai Socolovii, Carmen in imagines Samoscianæ diaetæ, Herculem Prodigium, Othonarios in D. Stanislai laudes, Flagellum Liuoris, Castum Josephum, Joelem, Pentezileam.* *Odas in vittoriam, Nuptias, atque Obitum Samoscii. Inque vittoriam Thomæ Samoscii Joannis F. Polonico vero carmine Eclogas XX.* Scripsit & Epigramma varia, tam Latina quam Polonica, tum Epistolas quoque familiares. Sed quæ omnia nondum sunt uno volumine comprehensa.

## IO: SCROBCOVICII. \*

*Grande virum pectus, quicquid molitur acuti,  
Latius aut quicquid Musa leporis habet;  
Id secunda ferunt monumenta Simonidis omnes,  
Fontes & cytharas vir tenet iste Deum.*

## III.

*Ex Dictionario Historico & Critico Petri BAYLE*

*pag. 148. Edit. 5.*

SIMONIDES (SIMON) l'un des bons Poëtes Latins du XVI. Siecle, n'aquit à Leopole en Pologne, & après avoir fait son Cours de Philosophie à Cracovie, il alla se perfectionner dans les études en Italie; d'où il revint si rempli d'érudition que Jean Zamoski le plus grand Héros qui fut en Pologne, le choisit pour son Secrétaire, & lui témoigna beaucoup d'affection, & lui procura la dignité de Chevalier. Le Pape Clement VIII. l'honora de la Couronne Poétique. Iuste Lipse lui donna des louanges fort distinguées, le comparant à Catulle, & prétendant que ses Vers eussent pu donner de la jaloufie à l'Antiquité

\* Apage Scrobcovinci cum tuo hocce insulfissimo Epigrammate. O inficerò impetrator rure, ut ait Catullus.

quité (a) Simonides reçut chez lui à Léopole en 1597, avec une affection très-particulière George Douza qui alloit à Constantinople, & qui étoit fils de Ianus Douza, bon Poëte, & bon Humaniste. Cela lui valut un Eloge que l'on verra ci dessous avec le Titre de ses Poëmes. (A)

(A) *Un Eloge que l'on verra ci-dessous avec le Titre de ses Poëmes ] George Douza écrivant à son père une Relation de son Voyage lui parla ainsi de son séjour à Léopole: Huic urbi (Leopoli) plurimum me debet fater, quod hic cum Simone Simonide hospitium & amicitiam contrahere licuerit: qui Vir quanto orches- træ plausu Parnassi collem insisterit, è Scriptis eius editis Alinopœane videlicet, & casto Josepho, cum Joeli Paraphrasi satis superque constare arbitror (1) Son père lui écrivit à Constantinople une Lettre où il lui marqua sa reconnaissance pour le bons offices de Simonides, & l'estime qu'il avoit depuis long-tems pour les Poësies de ce Polonois. Nescis, mi fili, quanid cum animi volupate illam Epistolæ tuæ particulam legendo ruminaverim, ubi non modo tanti viri (Interpretis Polonici, natione Armenii) faventiam ulro tibi oblatam gloriari ac prædicas: ve- rum etiam incomparabilis Viri Simonis Simonidæ benevolentia fores iam pridem pa- refactas aditum tibi porro ad doctissimi illius ac disertissimi Interpretis amicitiam concinnasse. . . Nunc Cessator esse cogor, ac commodiori tempori hoc scribendi offi- cium reservare, præsertim ad Simonem Simonidem, quem virum ego iam pridem ex Scriptis editis, Alinopœane puta, atque Odis Lindaricis, cum Joeli Paraphrasi illâ Poetica multo quæsirissimâ, procul diffitum licet, & veneratus sum, & admiratus. (2)*

Outre les Poëmes dont vous venez de voir le Titre, Simonides composa. Hercules Prodictus: Pentezilea: Flagellum livoris: Odæ in victoriam, nuptias, at- que obitum Samosci, inque victoriam Thome Samoscii Joannis filii, &c. (2)

## IV.

*Ex Autographo Viri Eruditissimi, mihiq[ue] amicissimi, & apud Josephi Epiphanii MINASOVICII Canonici Kitoviensis, cui titulus:*  
Viri Illustres Inclytæ Nationis Armenæ in Polonia.

SIMON SIMONIDES [Szymon Szymanowicz] Armenianus Leo- poliensis, quidquid in contrarium dicere conetur Bartholo- mæus Zimorowicz, Consul Leopolensis litteratus, qui illum in eo libello (quem de *Viris Illustr: Leopol. conscripsit*) populari-

G 2

bus

(a) Tiré de Starovolscius in Centum Script: Polon: pag. 130. 131.

(1) Georg. Douza, de Itinere suo Constan. pag. 14. (2) G. Douza de Itinere suo Constant. pag. 129. (3) Voiez Simon Starovolscius, in Centum Script, Polon. pag. 131.

bus suis asserere studet, quòdque magis opinioni suæ fidem adstruat, cuiusdam Magistri Simonis Brzezinensis, Viri apud suos Consularis filium appellat: potior tamen habenda fides **GEOR-  
GIO DOUSÆ, IANI** illius doctissimi Batavi filio, veluti Simoni-  
dis synchroño, quām Zimorovicio annis prope centum ambo-  
bus posteriori. Ille itaque Bataviâ suâ profectus, cùm per Rus-  
siam Constantinopolim iter faceret, & Leopolim amicam tum  
Musis civitatem, deditâ operâ diverteret, famâ imprimis tanti  
Viri excitus, quantus tum erat **SIMONIDES**; cum eo non in notitiam  
duntaxat, sed & in amicitiam pervenit, quemadmodum ipse in  
suo *Itinerario Constantinopolitano* testatur, ubi quoque exerte Armenium  
fuisse indicat, quod alioqui neutiquam scripsisset, nisi  
id probé compertum & exploratum haberet, usus familiaritate,  
ut & contubernio Clarissimi Viri. Præterea nec illud omit-  
tendum, quod in rem præsentem aliquatenus facere videtur,  
nempe quod in uno operum eius exemplari, Amstelodamensi-  
bus ni fallor typis exscripto in 12. quodque cum reliquis eius-  
dem Auctoris cimelii in Bibl: ZALUSC. Vars. diligenter ad-  
servatur, manu cuiusdam eaque non recenti adscriptum esse de-  
prehendi: *is fuit Armenius*, ut taceam, inter gentis eius homi-  
nes **SIMONOVICIAM** aliquando Leopoli floruisse familiam, eam-  
que haud incelebrem. Ex hac itaque ortus **SIMONIDES** noster,  
Eques torquatus, qui & Magno illi **IOANNI ZAMOSCIO**, Regni  
tum Cancellario, & copiarum supremo Duci, Litteratorum sui  
temporis in Polonia facile Principi ac singulari Patrono, in tan-  
tum ingenium & prudentiam suam adprobavit, ut is summami-  
de eo conceptam semel existimationem, nunquam deposuerit;  
quin & in deliciis habitum, suoque lateri assiduò hærentem,  
veluti Comitem individuum, secretioribus etiam consiliis ad-  
hibuerit; suoque **THOMAE** paternæ virtutis & dignitatis hære-  
di, studiorum Eius in adolescentia moderatorem, morumque  
honoriū Custodem præesse voluerit. Ingenio æque ad eloquen-  
tiā valuit ac Poesim, eamque imprimis Lyricam, cuius præ-  
clara,

clara, variis editis operibus græce & latine, specimina reliquit; veluti: *Joelem prophetam*: *Josephum caustum*: *Herculem Prodicum*: *Penthesileam*: *Livoris flagellum*: *Nuptias & Obitum Zamoscii &c.* Scripsit & vernaculo idiomate elegantissima carmina, qualia sunt eius *Eucolica* [vulgo *Sielanki*] XX. eclogis absoluta; *Epitaphia* item diversa &c. Iusti Lipsii testimonio, adeo in Poësi excelluit, ut eum Catullo similem diceret; vid. Geor. *Königii* Biblioth: vet. & nov. p. 257. Neque minus honorificum de eo iudicium posteritati reliquit Clarissimus inter Scriptores Sarmatiae Polygraphus, *Simon Starovolscius*, qui in eo libello, quem de *Clar. Orat. Sarmat.* inscripsit, p. m. 91. "Si scriptorum [in-  
"quit] pondus examines, Græco illi Simonidi par, si eloquen-  
"tiam consideres, tum in prosa, tum in carmine, multis gradi-  
"bus superior. Nam quemadmodum apud Græcos Homerum,  
"omnis divitis inventionis fontem originemque pronuntiat Ma-  
"crobius, sic ego inter Sarmatæ Poëtas, nostrum SIMONIDEM  
"existimaverim, qui tam perspicaci tamque luminoso animo fu-  
"it, ut ei parem ex modernis cuiusvis nationis Scriptoribus  
"non videam. Iam autem de eloquentia quid disputem? cum  
"inter illum & Cochonovium, quis superior dicendus sit, in-  
"extricabilem controversiam inter eruditos videam, dum milli-  
"bus argumentorum, modò hic, modò ille, superior ostenditur,  
"modò tam pares, ut lectorum iudicii dubium relinquant. Hac-  
tenus de Simone Simon, de Simonide Starovolscius, quem  
præterea & in *Hecatontade* sua collaudavit. Biographiam eius La-  
tinam exhibet I. B. Lotichius, in *Bibl. Poet. Parte IV.* p. 100.  
Polonicam, JOSEPHUS Comes ZALUSKIUS, Litteratorum & Ki-  
iovienium Antistes doctissimus, itidem in *Bibl. Poet. Polon.* p.  
Decessit porro SIMONIDES de statione vitæ, A. S. 1629. d. 5.  
Maii, horâ 9. ante meridiem, vixit annos 71. Zamoscii in Ec-  
clesia Collegiali tumulatus, atque à nepote suo Gaspare Solcio,  
Phil. & Med. Doct. nec non Ordinario Academiæ Zamosc. Pro-  
fessore, hoc monumento, quod sequitur ad perpetuam sui no-  
minis memoriam, honoratus:

SIMON

SIMON SIMONIDES situs est hic, cui bene credas  
 Congessisse Charin omnia mella sua.  
 Versibus hic rigidas ducebat montibus ornos,  
 Et dulcis suadae fluxerat ore melos.  
 Non illum latuit, quod pagina sacra docebat,  
 Quæque canit divæ pagina iustitiae.  
 Noverat & culti nutantia sydera mundi,  
 Noverat, excellens quod docet Hippocrates.  
 Principibus placuitque Viris, sat cultus ab illis,  
 Illos consilio, mente bonâque iuvans.  
 JANE ZAMOYSKI! tuus fuit hic lectissimus olim.  
 Cinæas, rerum & flos, dulcis amore tuus.  
 Illius ingenio posuisti maxima rerum,  
 Ille THOMAMQUE tuum surgere dat studiis.  
 Illustres Animæ! vos hic locus unus habebat,  
 Et nunc una domus post pia fata tenet.  
 Nil magnum spirare, ô nil mortalia corda!  
 Gloria nil vestra est, nil quoque divitiae.  
 Conf. laudatum STAROVOLSCIUM in Monum. Sarmat. & ZIMORVICIUM de Viris Illustr. Leop. utrumque monumenti huius exscriptorem.

## SIMONIS SIMONIDÆ

ENCOMIUM

▲ CRISAURO PHILOMUSO CONSCRIPTUM

*Sive*

PRÆFATIO AD LECTOREM

**M**aximas debeo Andreae Ianocio Viro eruditissimo gratias;  
 quod *Simonis Simonidae* carmina varia, præcipue Elegiaca;  
 cuius ego Hominis nomen tantum ex Epistola *Iusti Lipsi* co-  
 gnoveram, mihi inspicienda ac legenda tradiderit. Etenim cœ-  
 pi incredibilem ex eis voluptatem; ac si dicendum est magis  
 apte,

aptè, non solum ad ingentem venerationem elatus sum, verum etiam in eorum elegantiâ, splendore, atque magnificentiâ, ut ita dicam, exhorui. Verum non possum satis intelligere, quomo-  
do, tanti Viri carmina, Polonorum, si paucos excipias erudi-  
tos, notitiam effugiant. Evidem in Italia mea nemo est litteris vel leviter tintus, qui *Sannazarii*, *Politiani*, *Fracastorii*, *Io-  
viani*, *Vidae*, atque tot aliorum poeticâ laude præstantium Poe-  
mata non noverit atque etiam lexitaverit. Non possum, Lector  
sapientissime, me continere, quin exclamem. O infelicitatem istius  
*Juventutis!* ô miseriam scholarum! ô inscitiam, si non nequitiam  
Magistrorum! qui, ut Reipublicæ Litterariæ Senatores habean-  
tur, celant discipulos de *Simone Simonida*, de *Cochanovio*, aliisque  
illustribus Viris, dignis, quos in primis veterum Poetarum or-  
dinibus collocarent. De *Raphaeli Urbinate* audivi Pictorum no-  
strorum, ut scis, atque adeo omnium Coriphæo, Eum scilicet  
in Cryptas planeque in viscera Romæ veteris pervadere, atque  
ibi quascunque inveniret veterum picturas, iis in tabulis suis  
prius descriptis, expungere ac penitus delere fuisse solitum, ut  
nempe picturarum illarum auctor haberetur ipse atque Inven-  
tor. Eadem suspicor arte utuntur quidam hodie Magistelli, qui  
*Simonis Simonidae* & *Cochanovii* sublatâ prorsus in scholis &  
colloquiis mentione omni; Eorumdem exemplaria vel sub sigillis  
clausa improbe abscondunt, vel tradiderunt protervis *in mare  
Balthicum portare ventis*: veniâ aliquâ fortasse digni, si quos ex  
Polonorum memoriâ eradere conati sunt, saltem fuissent imi-  
tati, atque in eorum carminibus effingere studuissent. Sed heu!  
caudato Pavone superbiores, nullas alias merces æstimant illi,  
nisi quæ è sua extruduntur Apotheca, nulli alii vino hederam  
suspendunt, quam suo, sectantes Gallicum illud *Adagium*

*Nul aura de l'esprit que nous & nos amis.*

Redeo ad *Simonem Simonida*, de quo ego pronuncio; aut non  
alium fuisse Findari & Catulli cantum, aut Pindarum & Catul-  
lum ipsum in *Simonem Simonida* Pythagoræ veluti commento  
esse

esse transfusos. Nihil in illo desideratur, quod ab ingenioso, docto ac facundo Pöeta vel inveniri acutius, vel disponi aptius, vel explicari ornatius, vel tractari sublimius possit.

Seu grandiori carmine concinens

Heroas altum tollit in æthera,

Seu querit argutos iocosâ

Musa modos leviore plectro.

omnes in eo verborum, omnes sententiarum illigantur Iepores, omnes in eo Pöetici numeri, ad aurium non solum lenocinum, verum etiam ad rerum, quas describit, naturam aptiores explentur. Mira in eo amplitudo & maiestas aspicitur. Verum ita eius sermo grandis est verbis, ut nullo tumidae & inflatae orationis vitio labore, ita sententiis elatus, ut intelligentiae aciem non effugiat, ita translationibus frequens, ut ab usitata transferendi licentia vel insinua prorsus abhorreat; non ita cultum omnem nitoremque persequens, ut naturali, non fucato nitore resplendeat. Ac legendus *Simon Simonides*, si quisquam alias, Juventuti Polonæ, ut ab eo veram Græcorum & Romanorum Poetarum imitandi rationem accipere discat atque imitari. Utinam vero omnia extarent, quæ tantus Vir scripsit! utinam faltem quæ extant, & tot sigillis clauduntur, publici iuris fierent! Quapropter orandi sunt atque obtestandi maiorem in modum, qui habent præcipue latina (Zamoscii enim, aut Leopoli, aut Cracoviæ latere haud dubito) ne hæc bona situ & tenebris consumi, quam in manibus & in admiratione hominum versari malint. Ac de *Simone Simonida* quid attinet plura dicere? Legantur eius Poemata; ex eorum lectione multò melius, quam ex cuiusquam oratione quantus fuerit, cognosci poterit ab iis, quibus *mamilla salit, atque acre acetum est in petore*. Fruere interim lector his ingeniosissimis ac revera Catullianis *Simonis Simonida* Elegis. Qui famem publicam redimunt luculentæ

lentæ frugis vecturâ gratiam publicam merentur. Eamdem & mihi deberi puto, qui desideria doctorum recreo novo hoc litteraturæ ac Poeseos commeatu. Vale & lege. Ex Musæo nostro Varsaviæ anno MDCCCLXXI. Mense Octobri.

## CRISAURI PHILOMUSI

IN LAUDEM

## SIMONIS SIMONIDÆ

EPIGRAMMATA ATQUE ODÆ

AD POLONOS

*Phaleucion.*

**N**E quid vos Latio invidete *Lechi*,  
Habes *Lechia* tu novum *Catullum*  
In Simone tuo Leopolita,  
Phaleucis, Elegis Catullientem.  
Ne quid *Lechia* tu invideto Græcis,  
Et Tu Pindarum habes novum, profundo  
Ruentem ore, velut ruit Fluentum.  
Ergo & Tu numeris *Simonianis*  
Æternum volita Virum per ora;  
Volat ceu Ausonis, ora ceu Pelasgum.

## EPIGRAMMA.

**J**ngenii flores, Pindi usque virentis Imago  
Nobilis, Ausoniis ebria deliciis,  
Salvete Aonidum munus præsigne Sororum  
Pagina divini docta Simonovii.

H

Vos

Vos ne ego cum raucis fatuâ de plebe Cicadis,  
 Vos ne ego cum Asebii contulerim populo?  
 Pindarus ipse tuas animat *Simonides Odas*,  
 Ipse tuos *Cajus* (a) defluit inque Elegos.  
 Et mentem vincire novâ dulcedine pellax,  
 Non excusuris hæret in auriculis.  
 Hic lepor, hic Veneris species nativa Latinæ  
 In prisca qualis floruit Ausoniâ.  
 Vos quoque cum latiis longum florete Poetis  
 Carmina, Romanis æmula carminibus?

### EPIGRAMMA.

**S**i divine *Simon*, quos est mirata Vetustos  
 Implentes miris docta Theatra modis.  
 Thebanus Fidicen, Verenonsisque Poeta  
 Nunc emitantur Elisi e latebris  
 Ingenijque Tui felicia munera sumant  
 Versus, quos volvent nonnisi fronte hilari,  
 Hos ratio alterutrum coget vel utrumque fateri  
 Se didicisse Tuos, Te docuisse suos.

### EPIGRAMMA.

**Q**ualis præcipiti Jovis armiger astra volatu  
 Corripit, ætheriæ gloria magna plagæ.  
 Qui patitur nitidi vivos Hyperionis ignes,  
 Sustinet & lucis spicula recto oculo.  
 Sic divine *Simon* nubes tu vertice pulsas  
 Et caput ad sedes tollis Olympicolûm,  
 Thebanum cernis propiori ibi lumine Vatem,  
 Atque Catullæ carminis illecebras,

Forsitan

(a) *Caius Catullus.*

Forsitan ambobus dubiam facientia palmam  
 Fundis inexhaustum nobiliore lyra.  
 Quippe libens famulas dederat tibi Pegasus alas  
 Scandebas Clarii dum iuga celsa Dei.  
 Ite modo Asebii vestros iam carpere versus,  
 Num vos frenudentes praefocat iste liber.

*IN LAUDEM*  
**SIMONIS SIMONIDÆ**  
 CRISAURI PHILOMUSI

O D E I.

**Q**uis entheati pectinis arbiter  
 In tot sonores carmina dividit?  
 Servatque per omnes canendo  
 Pierium numeros tenorem?  
 Seu dulce Sapphus, seu grave Pindari  
 Genus sequatur, seu fide Teia  
 Cantet venustum, seu minaces  
 Stesichori cieat Camoenas.  
 Nunc te sonantem provocat aureo  
 Catulle plectro, nunc tibi concinit  
 Aequus Properti; nunc licescit  
 Te Latiae Fidicen choreæ.  
 Hic ille scetus clara *Leopolis*,  
 Quem stirpe felix Armenia dedit,  
 Subtile cui gentes acutæ (a)  
 Ingenii peperere munus.

H 2

Hic

(a) Vide Starovolscium ubi de itinere Italico Simonis Simonidæ.

Hic mentis altæ vividus impetus,  
 Per omne traxit quem genus artium,  
 Egitque per gentes, per urbes  
 Nosse vias, documenta, mores.  
 Urbs Romæ testis, Urbs caput Urbium,  
 Cinxit coronâ quæ tua tempora (a)  
 Mirata virtutes, beati  
 Ingenii venerata dotes.  
 In te vetustum vidit imagines  
 Spirare Vatum, temporis aurei  
 Tu annos dedisti, prisca surxit  
 Roma tuo rediviva versu.  
 Hinc Te Joannes ille Zamoscius  
 Magnus bonarum conditor artium,  
 Clarusque Mæcenas, Polonæ  
 Præsidium, columenque Gentis.  
 Cui lingua Tulli contigit aurea,  
 Cui bellicosi Cæsaris impetus,  
 Gui fœta legum mens Trebatî,  
 Cui rigidi gravitas Catonis  
 Doctum probavit: dum lateri suo  
 Adiunxit altis sensibus intimum,  
 Curis levamen, litterarum  
 Participem, & Sobolis Magistrum. (b)

## O D E I I.

Vates Latinæ Fons opulentiae,  
 Quem vidit ingens carminis arbiter  
 Dulces in auras prodeuntem  
 Luminibus placidis Apollo.

Cui

(a) Vide Starovolscium &amp; Dictio[n]. D. Bayle.

(b) Thomæ Zamosciï Magni Joannis Filii.

Cui docta semper Pieridum cohors  
 Sacros liquores uberius dedit  
     Haurire, & audaci volatu  
         Aonios penetrare saltus.  
 Cum vena metris imparibus fluit,  
 Suavem Properti spiritum ego putem,  
     Modos avenâ grandiore  
         Rômuleis sociare nervis;  
 Putem aut noveni delicias chori  
 Catulli alumnum Vatis amabiles  
     Fudisse concentus, & aureo  
         Dulce melos cecinisse plestro.  
 Sed trux protervis turbinibus furor  
 Blande sonantem concidit, ad lyram;  
     Lechæa reptavere saxa  
         Sarmaticæ saliere quercus.  
 Urnâ recumbens audiit Istula,  
 Dixitque lymphis carmina purius  
     Manare, & immotis sonoros  
         Obstupuit numeros fluentis.  
 Aurita quales ad vada Strymonis  
 Vates choræs charus Apollinis,  
     Orco relabentis maritæ  
         Fata dolens iterata fudit.  
 At summe Vates non imitabilis,  
 Quis credat eheu! *crimine Sarmatum*  
     Ætate marcescis *Zalufci*  
         Conditus interiore tecto.  
 Teque ista prorsus sœcula nesciunt  
 Insulsa, nullus perlegit o *Simon*,  
     Quæcumque decurrens profudit  
         Überibus tua vena rivis.

Ergo

Ergo indecore tot Latias opes  
 Obliviosis nox tenebris premet,  
 Et digna Musis unicum usque  
 Scripta Zalufciadem beabunt?  
 Non hocce Phœbus pectore cui sedet,  
 Quicunque donet: Divitis ingeni  
 En scripta vieturis in ævum  
 Credere codicibus labore.  
 Sic fata vinces, magne Simonide, et  
 Nunquam timebit pars melior tui,  
 Doctique sermonis leporem  
 Ore legent memori Poloni.  
 Vir Magne vives, ilia protinus  
 Rumpantur atris invida Asebiis:  
 Vir Magne qua laudis decore  
 Parte cupis meliore vives.  
 Orbisque & ævi iam supra ultimos  
 Claro canorus pectine terminos,  
 Vir summæ vives; hoc Simonis  
 Itatus en meritis repono.

## O D E I I I.

**Q**uid iam Roma vetus, quid sibi vindicent  
 Pelasgum proprium Natio? quid precor,  
 Aer mitior aspero  
 Aut quid sol oriens queat,  
 Präferre occiduo? en frigida Roxia  
 Urbs quidquid Latii, quidquid Apulia  
 Et doctæ cecinere  
 Thæbe pectine, protulit.  
 Longo est veridicus tempore creditus  
 Flaccus, Pindaricum non imitabile

Lapsuro

Lapsuro omine vulgans  
 Carmen: grande Simonidis  
 Sed postquam ille melos audiit, illico  
 Quoꝝ dixit revocat; quemque sibi parem,  
 Miraturque gemellum,  
 Anceps tollit & æmulus  
 Mixto cum trepidâ letitiâ metu;  
 Nam clare videt haud currere se amplius  
 Solum dum sua sentit  
 Retro signa pedum premi.

CRISAURI PHILOMUSI  
 IN LAUDEM  
**SIMONIS SIMONIDÆ**

**J**am sibi decus arrogarat ingens  
 Tellus Itala litteris, Polonus  
 Tum fortis fuit, Italus disertus,  
 Ille miles erat, sed iste Vates,  
 Ille Martis honos, sed iste Phœbi.  
 Cum tandem caput efferens tenebris,  
 Pudendis habetudinis tenebris  
 Polonum inclyta Terra sub *Zamoscio*  
 Duce atque auspice musicos alumnos  
 Multos edidit optimos Poetas,  
 Quales Itala Terra sub *Leone*,  
 Musarum Patre & artium *Leone*.  
 In his *Simonides* locum tuetur  
 Primum, *Simonides Leopolita*,  
 Siren Lechia sœculi eruditus  
 Non solum Patrias colens Camœnas,

Sed

Sed Phœbi celeber cliens Pelasgi,  
 Musis Pindarus alter & Latinis,  
 Alter Virgilius, Catullus alter,  
 Atque alter Seneca, alter & Terentius,  
 Per quem est Lechia clara nunc Camœnis,  
 Solo quæ fuerat prius Duello.

## E I U S D E M

## · ENDECAS YLLAEUS.

**P**rodite o Elegi *Simoniani*,  
 Atque imponite denique pudorem,  
 Pudorem petulantibus *Afebis*,  
 Qui solis sibi Romuli Remique  
 Insulse attribuunt Salem & Ieporem,  
 Sint Vappæ licet, atque Apollinares  
 Lixæ, classica castra inambulantes  
 Cornuto petaso, toga fluente:  
 Vos contra o Elegi *Simoniani*,  
 Vos contra Ausoniæ perelegantes  
 Bello carmine vincitis Poetas.  
 O iucundula raritate dona!  
 O suaves Elegi *Simoniani*,  
 In queis spirat imago, imago blanda  
 Catulli, Ovidii, Propertiique!  
 Vos ne oblivia sempiterna condant?  
 Claudat Bibliotheca vos *Zalusci*?  
*Pro Fide & Patria exulis Zalusci.*  
 Pater *Simonides* id haud meretur  
 Vester, magnanimus nec id *Zamoscius*,  
*Artium Pater atque Litterarum*,  
*Vestrarum decus & Poloniarum.*

Prodite

Prodite ergo Elegi Simoniani,  
 Per me denuo vos initate lucem,  
 Per me rumpite dura tot sigilla,  
 Per me sumite denuoque vitam;  
 Censorum trepitate nec lituras,  
 Timendas Elegis Asebianis,  
 Qui ianæti Baviique, Mæviique,  
 Unætas ingrediuntur officinas,  
 Galerum piperi togamque præstant.  
 Victores tineæque, Zoilique  
 Sed vos scrinia gentis eruditæ  
 Et Senatorias Domos subite;  
 Vos noctu Juvenes legant diuque,  
 Vos solos imitentur usque & usque,  
 Prodite ergo Elegi Simoniani.

---

PETRVS CIEKLINIVS

THOMÆ ZAMOSCIO

S. D.

**E**xcessisse te ex incunabulis, & bonarum disciplinarum doctoribus  
 traditum esse, magna cum voluptate audivi. diem enim hunc, quo  
 id ingressus es, non minus salutarem tibi existimo, quam natalem  
 ipsum. is enim efficit, ut vitam quam à natura accepisti, cum ho-  
 nestate transfigas: sine qua, nec illa vitalis est, & hominem à pecude  
 vix discernit. Gratulari tibi multis, fortuna tua in excelsis posita,  
 & patris tui summa de te cura, non permittit: mihi ut gratuler, at-  
 que adeo gaudeam, ob animum meum vobis devotissimum planè debeo.

I

siquidem

siquidem DEUS ea felicitate me compotivit, ut tuam diuinam indolem, tanto patri succrescentem videam. Ex more clientum aliquid usurpavero, qui natales patronorum munusculis solebant exornare: itidem ut natalem hunc tuum litterarium, munere litterario celebrem habeam. Atque eius ergo adsero ad te, clientis familie vestrae Simonis Simonidae carmen tibi scriptum. cohortatiuncula est nonnihil. imò ista ipsa sunt, quæ tibi nunc ex Xenophonte de Hercule traduntur Latinis numeris inclusa: si forte Græca lingua primordia molestiam tibi pariant, ut ipsis Musarum scitamentis detergas. Ea est modestia Simonides, aut potius ita est rerum suarum parcus promus, ut vix sperem, ista unquam ab illo tibi oblatum iri. in manus meas postquam deuenere, nolui committere, ut tam bello carmine diutius careres. Addidi præterea aliud alterius notæ, quod duos ante annos ad te scriptum, scio nondum tibi exhibitum esse. AEtatulæ tuæ fortunam vide, quæ propè in cunis præconem laudum inuenit. Frustrari de te expectationem omnium mortalium non debes. Bene vale. Ex prædio vestro Zamchano Kal. Octob. Anno M. DC. II.

SIMONIS

SIMONIS SIMONIDÆ

# HERCULES PRODICEUS

A D

THOMAM ZAMOYSCIUM

MAGNI IOANNIS F.

**A**lcidem mihi Musa refer, non quantus in Hydram,  
 Non quantusque ierat sternere Geryonem.  
 Sed qualis modo decursis puerilibus annis,  
 Ætatis primo in limine constiterat.  
 Imberbes quando iuvenes, custode remoto,  
     Jam propriis gaudent se regere imperiis.  
 Inque viam vitæ cursu nituntur anhelø,  
     Atque sui præbent non dubium indicium.  
 Ardua virtutis num se in penetralia mittant.  
     Num fluxo in vitium se impete præcipitent.  
 Ergo ancepsque sui, trepidusque errore iuventæ,  
     Desertis solus federat usque locis.  
 Multa putans animo, multum ratione vagatus.  
     Virtutis ne alta poneret arce gradum.  
 An vagi multiplici quæ se via tramite fundit,  
     Vaderet ignavas carpere delicias.  
 Inque voluptatum miseris se mergeret undis,  
     Qua rapidus vortex pectora lenta vorat.  
 Hæc alternanti, dubiaque in mente frementi,  
     Apparent geminæ, numina magna, Deæ.

Ire simul, visæque pari vestigia gressu  
 Proferre, & iam iam non nimis esse procul.  
 Altera nativo formæ præsignis honore,  
 Et vultu, & toto libera sponte animo.  
 Mundiciem membris referens, oculisque pudorem.  
 In castigatis conspicienda bonis.  
 Finixerat & placidos pacata modestia gestus.  
 Fluxerat inque imum candida palla pedem.  
 Ast aliam tenera nutriverat arte sagina  
 Læteaque in toto corpore mollices.  
 Quæsusque ori color, & pigmenta reperta.  
 Nec facies constans, nec lepor ingenuus.  
 Sed fallaxque nimis candor, fallaxque nitebat  
 In cerusatis purpura fusa genis.  
 Membrorumque modus surgens procerior æquo.  
 Incessusque fluens, perspicuumque latus.  
 Ast oculi nunc huc volucres nunc protinus illuc.  
 Et vestis nudis fæta Cupidinibus.  
 Quæ mage lascivæ radiaret lumina formæ.  
 Et transparentes nequitias faceret.  
 Tum se sollicito lustrabat sedula visu.  
 Ornatusque ibat cernere sape suos.  
 Inque alias limis aciem vertebat ocellis.  
 Ecquis in illam avidus lumina coniiceret.  
 Non raro affixam pone aspectabat ad umbram.  
 Se se perpendens illius ad modulos.  
 Postquam prospectum iuvenis venere sub ipsum.  
 Proximiorque loci constitit esse via.  
 Non celerare gradum, non immutare tenorem  
 Diva prior, studio nec trepidare avido.  
 Evolat interea, & gradientem præterit illam  
 Altera, sermonisque occupat officium.

Atque

Atque ait. ô iuvenum fortunatissime, frustra  
     Frustra animum curis conficis ipse tuum.  
 Frustra suspensam crucias formidine mentem.  
     Non opus est vobis consilio ambiguo.  
 Nec tibi sollicitæ quærenda est orbita vitæ.  
     Nec labor instantus, nec via dura nimis.  
 Me tibi si sociam, tibi me si sumis amicam.  
     Ipso dabo cursus, ipsa regamque pedes.  
 Ipsa ego deducam te inter lœtissima Tempe,  
     Inter delicias luxuriemque loci.  
 Quicquid iucundum, quicquid formosius usquam est.  
     Non pergustatum nil tibi prætereat.  
 Ast quicquid durum, quicquid rigidumque ferumque.  
     Immunem te horum degere constituam.  
 Principio tibi bellorum non ingruet horror.  
     Non adimet somni munera rauca tuba.  
 Non rerum nimio pressabit pondere moles.  
     Nil tibi cum curis, nil tibi cum strepitū.  
 Unica sola tibi tantum dulcissima cura.  
     Ut lœtus lœto cuncta feras genio.  
 Obsoni sive insignis se proferet usquam  
     Gloria, prompta gulæ serviet illa tuæ.  
 Pocula seu blandum crescent superantia nectar.  
     His cupies mensas exhilarare tuas.  
 Nec solum inventis utebere, lautior ipse  
     Invenies, quæ te sumere non pigate.  
 Quæque oculos satiare solent, quæque ire per aures.  
     Quisquis odor narem suavius insinuat.  
 Gaudia quæque manum tangunt, quæque omnibus hærent  
     Membris, per volitat quisquis ubique lepor.  
 Floriferis ut apes in saltibus omnia libant.  
     Sic tu decerpes omnia grata animo.

Te sibi

Te sibi formosæ cupient prensare pueræ.  
 Perfacilem te illis tu quoque nempe dabis.  
**T**e sibi tuta quies, gremio te somnus amico,  
 Te pluma molli gestiet accipere.  
 Atque ea ne multo veniant tibi parta labore  
 Deuita, hoc unum strenuus advigilans.  
 Nec tibi conuellerat mentem malus angor habendi.  
 Nec quæras, unde hæc suppeditare queant.  
 Non metus, haud ullus poteris in tempore egere.  
 Nec miseras sudans accumulabis opes.  
 Non mare tentabis ratibus, non vomere terram  
 Scindes, non fessus corpore, non animo.  
 Sed quæ alii sine fine parant, sine fine recondunt.  
 Hæc tua sunt, his tu iure fruare bonis.  
**N**il sacrum iubeo esse tibi, nihil esse profanum.  
 Quoslibet apta manus convolet in loculos.  
 Et quoctunque penus spes fulserit alma lucelli.  
 Hanc rape non tardus, cætera lentes age.  
 Namque meos ista deuinxi lege sodales.  
 Quod libitum cuiquam est, ut liceatque simul.  
 Liberaque omnigeni permitta licentia quæstus.  
 Utile sit tantum, turpe nefasque nihil.  
 Talia dicentem iamidudum obtutibus Heros  
 Aduersis, tacito & lumine peruvolat.  
 Tandem pauca rogat, quo te Dea semine cretam  
 Esse rear! famam nominis ede tui.  
**I**lla sub hæc paullum verbis & mente morata,  
 Oiuuenis, non mihi nominis unus honos.  
 Ex animo me quisque suo fingitque vocatque.  
 Sum bona, sum felix, sum mala, sum misera.  
 Felicem dicunt socii, dicuntque beatam.  
 Et præsens numen mea turba colit.

Infelicem

Infelicem alli dicunt, dicuntque malignam.  
 His petor ex odio scilicet opprobriis.  
 Quisquis amicus erit, gnauam laudatque probatque.  
 Deminuit famam, quisquis acerbus erit.  
 His interuenit dictis tandem altera Diua.  
 Et tales leni protulit ore sonos.  
 Alcida generose, etenim iam nomen, & ingens  
     Fama tua, in nostris auribus increbuit.  
 Det veniam, quæcumque prior properauit adire.  
     Sermoni nostro det facilemque locum.  
 Et nobis studium esse tui curamque putato.  
     Et te conuentum me bona causa monet.  
 Ipsa ego te noui, quo sis genitore profectus.  
     Noui ego, queis æuum duxeris in studiis.  
 Ingeniique tui patuit mihi libera vena.  
     Quamque geras mentem, quosque geras animos.  
 Hinc spes constantes, hinc mi fiducia de te.  
     Hinc de te noctes maceror atque dies.  
 Si te forte meis socium secessibus addas.  
     Seu dux ire viæ, seu velis ire comes.  
 Te fore, qui magnum factis ingentibus orbem,  
     Te fore, qui cœlum, qui maria exuperes.  
 Nec tibi gestorum cumulo certauerit alter.  
     Seu tractes pacem, seu fera bella geras.  
 Ipsa ego te propter longe sublimior ibo.  
     Audeboque astris ferre caput proprius.  
 Cœtibus inque virûm maior mea gloria surget.  
     Tum Divam me omnes, tum Dominamque ferent.  
 Nec te blandiloquis ductabo garrula verbis.  
     Nec dabo suadendi mollia principia.  
 Quam vitam Deus, & simplex natura parauit,  
     Quam legem rebus, quam faciem imposuit.

Hanc

Hanc referam, & dempta calligine singula promam.  
 Singula nuda tibi, singula vera tibi.  
 Omnia quæ toto visuntur commoda mundo.  
 Quicquid honestum usquam, quicquid ubique bonum.  
 Nil veni invicto mortalibus absque labore.  
 Cuncta labore cati dantque locintque Dii.  
 Sudandum, contendendum, cura alta voranda.  
 His veniunt magnis dona operæ preciis.  
 Seu cupies superum tibi delenire fauorem.  
 Cura erit, ut superos cum pietate colas.  
 Viuere seu caris quæres incundus amicis.  
 Candida ab officiis crescit amicitia.  
 Siue voles, vt te populi venerentur & vrbes.  
 Vrbibus & populis commodus esse velis.  
 Seu posces, quem mox patrii admiretur & Hellas.  
 Claris in patriam promeritis vigeas.  
 Frugibus vt tellus, pecore vt sint pascua lata.  
 Curandum pecus est, estque colendus ager.  
 Si tibi bellorum veniat non parua cupido.  
 Ciues vt serues, hostibus ut noceas.  
 Durum Martis opus, multa impendenda magistris  
 Militiae cura est, multa ferenda animo.  
 Magnæ artes ediscendæ, nec mitior vsus.  
 Vsu artes constant, vsus ab arte venit.  
 Corporis & vires valido firmantur ab vsu.  
 Praesto vt sint rigidæ mentis ad obsequium.  
 Et simul algorem, simul & perferre calorem  
 Sint dociles, labor & quicquid anhelus amat.  
 Non tulit hortantem impatiens Diua improba plura.  
 Atque interpellans feruida verba dedit.  
 O puer, ô teneræ florem modo nae*te* iuuentæ.  
 Sentis, quod sermo te iste proterius agat!

Saxe inter prærupta, interque horrentia tesqua.  
 Quò pes, quò nunquam semita pressa solo.  
 Non vlla apparent positæ vestigia plantæ.  
 Tota remota via est, aspera tota via est.  
 Talia vix vita constant solatia vitæ.  
 Carpenda illa breuis, neue terenda nimis.  
 Quid iuuat insano tantum indulgere labori?  
 Quod quæras breuius, quodque habeas melius.  
 Viuas dum viuis, reseces spem, dissiliuit ætas.  
 Sis lætus paucis, me duce lætus eris.  
**M**e duce pacata incedes regione viarum.  
 Me duce fortunæ te in gremium referes.  
 Tum Virtus, ô te miseram, nimumque supinam.  
 O falsis lusam semper imaginibus.  
 Tu ne boni quicquam, aut læti, quicquamue venusti,  
 Tun' habeas, possis dicere quod volupe?  
 Cum te omnis fugiat solertia, cum tibi pensi  
 Sit nihil, & minimum vix moueas digitum.  
 Ipsa etiam se gaudet emi sudore voluptas.  
 Ipsa etiam curis pascitur & studiis.  
 Quam tu nec voto, iustoue cupidine captas.  
 Nec desiderio das spatium usque suo.  
 Quin fartumque facis, plenoque abdnomine turges.  
 Et misera sensus ingluvie anticipas.  
 Mensa tibi ante famem, ante sitim carchesia plena.  
 Et saturata voras, & temulenta bibis.  
 Utque cibi surdum possint reuocare palatum.  
 Blandius & subeat gutturis esca moras.  
 Omnia vexantur late fora, turba cocorum  
 Peruigilat, solum hoc ducitur artis opus.  
 Nec reperire merum leuior labor, acrius illud,  
 Mitius hoc, istud lene ciere sitim.

Scilicet hesternum ut fallant noua pocula Bacchum,  
 Dum crudus lento nauseat in stomacho.  
 Quæritur æstiuas si quis glaciesque niuesque  
 Mons celat, si quo fonte rigescit aqua.  
 His tu prætepidos infringis nectaris ignes.  
 Hic illex, ne sis sobria, sæpe monet.  
 Utque suis somnus te suauius implicit alis.  
 Quo non puluillo, quoue tapete cubas?  
 Lectulus exstruitur mollissimus, illius oram  
 Vmbellæ, & circum nimbus opacat hians.  
 Ipsa etiam fulmenta parant lenire quietem.  
 Et se sub strati margine subiiciunt.  
 His tu tormentis requiem petis, hæc tibi somnum  
 Et male tutantur, nec bene conciliant.  
 Defessis meritum donat natura soporem.  
 Ut recreet vires, vtque labore levet.  
 Non tibi causa huius tam seria, sed quia nulli  
 Inuigilas facto, nil agitasque rei.  
 Ignauæ vt fallas languentia tædia vitæ,  
 Sæpius in somnum te sepelire cupis.  
 Quid Venerem laudem? Veneris tu præmia noris?  
 Inuitam quam tu sollicitas temerè.  
 Et petis incassum torpentia gaudia frustra.  
 Nam vi, nam præcox, nam petis ante diem.  
 Nil hic profuerit Circæis artibus vti.  
 Quæ moderata iuuant, immoderata nocent.  
 Quærere nec formas, oculos nec pascere inertes.  
 Hic quoque languentem proiice desidiam.  
 Tune gubernatrix, tu sancta magistra iuuentæ?  
 Tu cui committi libera fræna queant!  
 Indefessi tuos quæ noctibus vris alumnos.  
 Vris, & in quæuis prostituis scelera.

Mox somno absumis potiorem lucis honorem.  
 Et spolias vitam commodiore die.  
 Te Pater omnipotens Diis immortalibus vnam  
 Addiderat, cœlo tu quoque iura dabas.  
 Sed te idem Pater omnipotens eiecit Olympo.  
 Dixitque indignam moribus æthereis.  
 Nec cœtus celebrare hominum tibi tuta potestas.  
 Nec caput in populo vertere conspicuum.  
 Te damnare senes, te spernere turba laborat.  
 Te vir, te mulier, quæ sifit, improperat.  
 Laus tua purgatam nunquam tibi transit aurem.  
 Vera laude nihil dulcius aure sonat.  
 Non opere in proprio satiasti lumina amica.  
 Nil oculis proprio pulchrius est opere.  
 Mendacem nouere omnes, iurata vel olim  
 Affirmes, surdis dixeris auriculis.  
 Siue opis indigeas, & te mala damna fatigent.  
 Clamosisque voces fletibus auxilium.  
 Nemo impertiri, nemo te tollere curet.  
 Destituant omnes, despiciantque palam.  
 Imprudens si forte aliquis tua iussa sequatur.  
 Namque sciens nemo se tibi dediderit.  
 Qui te, qui que tuos mores pernoverit ante.  
 Nemo adeo præceps, nemo sui hostis erit.  
 Tu iuuenum florem lustris depasta malignis,  
 Efficis, ut fracti tabida membra trahant.  
 Aut miseri ante diem fato rapiantur acerbo.  
 Aut senii metas protinus inueniant.  
 Tum vanosque senes videas, deliraque corda,  
 Fundere tum cano stultitias capite.  
 Nam quid agant? quos conuulsæ felicior ætas.  
 Nec labor instruxit, nec bona mens aluit.

Ergo squalentes, fessique, ignavius æcum  
 Nec bene componunt, nec bene conficiunt.  
 Ingeminat dolor, & labor, & fædissima vita,  
 Et pudor intentat turpius opprobrium.  
 Quæ fecere horrent, & commeminiſſe verentur.  
 Occurrunt vultu damna recepta truci.  
 Nec sarcire malum licet, aut noua condere sæcla.  
 Serumque incipere est, & male cœpta grauant.  
 Quod gratum, quod lene fuit, florentibus annis,  
 Permissum, & vires futilis aura tulit.  
 Ætatem in tardam seruata aſperrima rerum.  
 Et gemit innumeris preſſa ſenecta malis.  
 Me ſi forte roges, quo me duce, quo lare tuter.  
 Queſis properem factis tempora conterere.  
 Principio me læta fouent consortia Diuūm.  
 Mi cœli ſemper libera porta patet.  
 Et terras habitare datum, quacunque bonorum  
 Floret honos, venio ſemper in ora virūm.  
 Siue quis an ſanctos ſuperum molitur honores.  
 Me ſociam primis aduocat auſpicis.  
 Seu genus humanum factis illuſtribus ornat.  
 Nil gestum retur me ſine, quiſquis agit.  
 Non eſt, quod mecum quiſquam contendat honore.  
 Siue apud ille Deos, ſiue apud ille homines.  
 Quo studio me cunque ſibi quiſ poſcit amicam.  
 Adſum, nec renuo fida ministeria.  
 Me nocturna faber vigilans ad lumina quærit.  
 Et melius mecum currere ſentit opus.  
 Me custode domum, & ſanctos seruante penates,  
 Florentes natos educat ipſe pater.  
 Ipsi ego præſideo famulis, operasque reposco.  
 Ipsi reposco operas ſedula, blanda tamen.

Aurea pax terras perfudit diuite cornu.  
 Pacis ego solers carpere diuitias.  
 Mars venit, & pugnæ late sonuere cruentæ.  
 Nulla manus bello me prior anteeat.  
 Prima adsum socia arma ferens, me prima periclis  
     Offero, certa simul vincere, certa mori.  
 Cana fides, niueique meo se corde receptant  
     Sensus, sola bonis lator amicitis.  
 Neu me nulla putas solatia cedere ventri.  
     Accipe, quam mensæ dona beata meæ.  
 Non tentat quemquam nostrum inclemetior esca.  
     Nec variare cibos mica negotioli est.  
 Plebeii fruimur, fruimur dulcedine summa.  
     Latranti stomacho quidlibet est volupe.  
 Latrantem sequimur stomachum, quod mella, quod omnes  
     Lautitias vincit, vincit & artifices.  
 Suauius alma sitis puris se inuitat in vndis.  
     Quam vestra in toto neftare luxuries.  
 Ast suasor somni nobis sudorque laborque.  
     O qualem vobis otia nulla dabunt.  
 Deserat ille licet, serd veniatque vocatus;  
     Non nos sollicitos lectulus asper habet.  
 Vel veniat, solitaque artus aspergine tangat.  
     Interea occurrant quæ peragenda prius.  
 Non nobis abit inuitis, querulosque relinquit.  
     Cedit sponte locum, tempore deinde redit.  
 Laude senum naui iuuenes se crescere gaudent.  
     Spectarique volunt, deminuique timent.  
 Ast sanctos, meritisque graues, annisque verendos  
     Justus honor iuenum tollit in astra senes.  
 O quanta illorum perfundunt gaudia mentes.  
     Dum memorant æui fortia facta sui.

Nec

Nec minus interea maeti præsentibus orsis,  
 Pertendunt senii vincere desidiam.  
 Diis cari, pietate mera, & virtutibus almis,  
 Dilectique suis, rite patres patriæ.  
 Tandem fatalis quando se admouerit hora,  
 Et veniet tenebris mors adoperta caput.  
 Non illos tellure premunt oblia iniqua.  
 Quin durant sæclis innumerabilibus.  
 Illustresque vehit sublimi gloria curru.  
 Et renouat famam sedula posteritas.  
 His tibi, care puer, fas est sine fraude potiri.  
 Care puer, magno de genitore fate.  
 Hanc tibi fortunam, hæc rerum pulcherrima fata  
 Spondeo, tu meritis fac potiare tuis.  
 Dixerat, atque illam lustrauerat aureus ignis.  
 Et circum radiis est redemita comam.  
 Tum vero Alcides totis ardere medullis  
 Visus, & ingentes pectore flare animos.  
 Quamprimum monitis se se vt præberet honestis.  
 Virtutisque irer totus in arbitrium.  
 Qualis vbi sonipes generoso semine cretus,  
 Ætatis robur sentit inesse sibi.  
 Nondum fræna sciens, nondum sessore notatus,  
 Ludere tantum audax margine gramineo.  
 Si tuba terribilem sonitum procul ære canoro  
 Sustulerit, fixis fistitur auriculis.  
 Et pede pulsat humum, & vibratos contremit artus.  
 Et marte attonitus tangitur horrifono.  
 Tum memorat. si Diua mei, si tanta cupido est,  
 Et mouet ætatis te pia cura meæ.  
 Nulla mora est, te Diua sequor, tibi dedicor vni.  
 Suscipe tu vitæ lubrica lora meæ.

At Dea

At Dea deterior vultu perstabat iniquo.  
 Et noua quærebat conserere alloquia.  
 Ter conata manu iuuenem contingere, ter se  
     Subduxit toruo pæne supercilium.  
 Tandem spreta abiit, sylvasque intravit opacas.  
     Ille bona Diuæ iunctus erat lateri.  
 Æternumque eius mansit mancepsque comesque.  
     Eius erat viuus, mortuus eius erat.  
 Donec sydereas fama penetrauit ad arces.  
     Nunc ubi felicem vescitur ambrosiam.  
 Thoma meæ dulcis lepor, & tutela Camenæ.  
     Care puer, magni maxima cura patris.  
 Nunc mihi tu Alcides, nunc tu Jouis altera proles.  
     Tu quoque mi fies nobilis historia.  
 Jam tibi formosam molli languine malam  
     Cinget, non ætas tarda venire solet.  
 Jam te constituet diuisa ambage viarum.  
     Sed tibi virtutis sola terenda via est.  
 Nil mortale tibi, nil fas spectare caducum.  
     Herculis exemplo iam modo pone gradum.  
 Ardua qua cœlo condit se semita, quo non  
     Aspirant viles, frigida corda, animæ.  
 Te decet ante omnes pulchra florere iuuenta.  
     Ante omnes quando te bona fata fountent.  
 Te decet & magnos patris sperare triumphos.  
     O patris exemplis ingrediare viam.  
 Ille est virtutum norma, & certissima amissis.  
     Ante omnes ille est Amphitryoniadas.  
 Eheu quam crudæ plane immemor ille senectæ,  
     Immemor & morbos, immemor atque famem.  
 Horrendumque gelu, sæuos interque triones,  
     Immemor & media tempora dira hyemis.  
 Dura expugnator circum castella sub armis  
     Nunc sedet, & vasto fulmine saxa ruit.

Defecere acresque viri, feruensque iuuentus.  
 Ille animis rigidum constabilit senium.  
 O Dii, qui magnos hominum curare labores,  
 Et iustis orsis ferre soletis opem.  
 Hoc nobis seruate caput, ne Sole remoto  
 Hoc tandem in tristes cuncta abeant tenebras.  
 Tu fili, factisque refer, meritisque parentem.  
 Non satis est claro sanguine te genitum.  
 Aequandum genus est virtutibus, i pede fausto.  
 Et tanto dignum te genitore proba.  
 Sed tibi post bellis aderit maturior ætas.  
 Tunc tu bella manu dexteriore petes.  
 Nunc te Musarum poscunt commercia, nunc tu  
 Redde aurem pulchris redde puer studiis.  
 Hic etiam iuuenies vestigia magna parentis.  
 Hic etiam exemplis illius ire potes.  
 O quoties illum iuuenem miratus Apollo est,  
 Et petiit comites inter habere suos.  
 O quoties stupuere Deæ, stupuere Camæne.  
 Atque suam cessit Calliopæ lyram.  
 Ille etiam vidit sapientum templa serena.  
 Tunc etiam peperit nomen in orbe sibi.  
 Nunc quoque Musarum memorem se iactat alumnus.  
 Mars illum quamvis sanguinolentus habet.  
 Care puer, patris cupidus præcepta capesse.  
 Nil patris est tanti sanctius imperio.  
 Nimirum ille nihil dicit te carius vno.  
 Deceptum partem non volet ille suam.  
 Maxima quæ censet, quæ præclarissima credit,  
 Hæc iubet, his docilem te bone dede puer.  
 Seu pacem, seu bella geres, te Musa sequetur.  
 Musa beat cælo, cætera mortis erunt.

**SIMON SIMONIDES**  
SIXTO LEOPOLIEN. MEDICO EXCELLENTISS.

**N**Æ multum, Optime Sixte, næ satis plus,  
 Thermarum (<sup>a</sup>) tibi debeant fluenta,  
 Quæ tellus gremio suo Polona  
 Fundit. Nam sine lege, nota nulli,  
 Et sine artis ope haec tenus meabant  
 Insignita, benignitate sola  
 Naturæ: vñibus haud sat expedita  
 Humanis. veluti ruditis metalli,  
 Terræ viscera dum tenetur intra  
 Massa iners, pretio leui æstimatur;  
 Donec officio manus peritæ'  
 Educta e tenebris, & auæta luce,  
 Magno munere venditat se ubique,  
 Et viæ in varios vocatur vñsus.  
 O Sixte Optime, sic tuo labore,  
 Thermarum e tenebris fluenta prompta,  
 Atque edoæta mederi ad artis vñsum,  
 Illustræm sibi vendicant honorem:  
 Humanumque genus iuuare gaudent.

**CRISAURI PHILOMUSI**

*Endecasyllabus*

**AD ADAMUM NARUSEVICIUM Soc. JESU**

*In Convictu Nobilium Poesios Professorem Virum Eruditissimum.*

**N**Ostri Simonides, ADAME sæcli  
 Omnium Pater elegantiarum,  
 Atque idem Pater omnium leporum,  
 Atque idem decus Aonum fororum,

L Quæ

(a) Laur. Mitzlerus de Kolof, in Regis Polonæ Aula Confiliarius, R. Pol.  
 Historiographus, Medicinæ Doctor, Vir eruditissimus, librum de Thermis in  
 pago Sklo, a Sixto Medico idiomate Polono scriptum Latinitate donavit, cui  
 operi Simonides hos versus elegantes in Sixti laudem præfigi voluit.

Quæ te sollicitâ recenter ortum  
 Suscepere manu, tuos & artus  
 Formarunt digitis, & irrigarunt  
 Succis nectareis tuum labellum.  
 Nostri Simonides, ADAME, sæcli,  
 Describas Epigramma, quæso, quæso  
 Pulchrum Simonidis, venustulumque  
 Es quod pollicitus mi ADAME in aulâ.  
 Huius nam Venères Cupidinesque  
 Totis sensibus ardeo osculari,  
 Doctorum serere & Virûm per ora.  
 Quod describere si mihi haud graveris,  
 Illud, quod volupe Aonis Puellis,  
 Juro me gelidi Asebi daturum  
 Versus tardipedi Deo ustulandos;  
 Quos hisce egregie cacavit annis,  
 Totam Varsaviam atque concacavit.  
 Dî magni horribilem, sacramque pestem!

**DELL' ABATE**  
**LUIGI SUBLEYRAS**

SONETTO.

**S**mai sugli Afstri a candid' Alma e pura  
 Perviene il suono di terrene lodi,  
 Tu, Simonide, al certo esulti e godi,  
 Ch'or sia tua Fama dall' obblio sicura:  
**E** Lui ringrazi che al poter ti fura  
 Di tempi edaci, e di maligne frodi,  
 Maravigliando che i tuoi dolci modi  
 Sì poco avesse la tua Patria in cura,  
Così

Così pur chiuso e lunga età negletto  
 Catullo giacque. Or de' suoi fiori adorno  
 Seco tu canta e vivi o Cigno eletto.  
 Crisauro, e Cunich ti fann' eco intorno,  
 E a te forse sarien d' invidia oggetto;  
 Ma non ha fosca Invidia in Ciel soggiorno.

ILLUSTRISS. PRINCIPI  
**JOANNI DUCI**  
 IN OSTROG  
 CASTELLANO CRACOVIENSI.

ANDREAS SRZEDZINIUS S. D.

Pro ea familiaritate, quæ mihi quotidiana est cum Simone Simona, forte scidas eius una reuolebamus; in quibus reperimus Elegiam quandam titulum *Imaginum Diætæ Zamoscianæ præferentem*: quam cum audiuis relegerem, causamque & tituli, & carminis ab eo perquirerem. Optimi dicrum, inquit, est hoc εἰκόνημα; atque adeo ætatem iam habet: ante decennium enim scripta est. Cum Barbaram Tarnouiam nuptam nouam Heroi nostro parentes domum deducerent, atque ille incredibili festiuitate soceros exciperet, imaginibus istis diætam in qua conuiuum apparabatur adornandam iusserat; ubi etiamnum celeberrimo spæculo visuntur: eas tum carmine illustrare voluptas mihi fuit. Enimvero ita, inquam, sciebam, festiuitatis illius hæc fuisse ornamenta. de carmine tuo nonnulli inaudiueram; & laudari, causamque à nonnullis adserri, cur iam tum editum

tum non fuisset, memineram: nempe ista, quæ ex occasione de consiliis belli Turcici à Sexto V. Pontifice Maximo cum Stephano Rege Poloniæ agitatis, adspersa sunt, ne inuidiosa apud vulgus illis temporibus forent, quibus post defunctos illos Heroas, societas belli Turcici, sapienter nostris tentata, non coaluit. Nunc postquam dies iudicia hominum composuit, triconum ex numero, aut negligens nominis tui fueris, si fatus huic lucem negaueris. Quum non renuisset, cupido me incessit Elegiam ipsam in publicum dare: idque duplicit ex causa. primum, ut tam bello carmini vitam redderem: deinde, ut in memoriam apud præsens sæculum reuocarem, quanti momenti res à summis principibus instituta tum fuerit: si forte exemplo aut incitamento esse posset iis, qui nunc ad clauum sedent. Porro apud te Illusterrime Dux, deponendam putaui, non ingrato, quantum spera, munere; quum auorum tuorum Paterni atque Materni laudes contineat; quorum diuinissimam stirpem ut familia vestra immortalitus sæculis propaget, pro bono publico, etiam atque etiam cupio. Zamoscii. Calen. Iulij. Anno M. DC. IV.

SIMONIS SIMONIDÆ  
IMAGINES DIÆTÆ  
ZAMOSCIANÆ.

Festa Zamosciades celebrat conuiuia Princeps,  
Et renouat magnæ munera lætitiae.  
Qualia par saceris generum renouare vocatis,  
Acceptæ lautum coniugis hospitio.  
Dicite Pierides, neque enim vos defore vestro  
Heroi blandis addecet officiis,  
Dicite, qua pompa, quo vos sistitis honore,  
Quo cultu vester gestiet ire lepor?  
Non ego vos credo, quæ pulchra modestia vestra est,  
Inter convivas velle sedere viros.  
Qua proceres, qua lectus eques, qua flos sedet omnis  
Regni, quo nullum Sol videt eximius.  
Non epulis duci vestrum est, non pocula plena  
Siccare, aut mensæ querere luxurias.  
Non choreis, quanquam choreis Helicona soletis  
Lustrare, hic operam insumere censuerim.  
Talia Sarmatides melius Iudicra puellæ  
Præstiterint, longo syrmate Sarmatides.  
Scilicet appensam ex humeris cytharamque lyramque  
Sit potius vobis, aptaque pleura fidi.  
Ni, quod forte manu quoties tractastis eburnam  
Aut cytharam, aut curuæ grandia fila lyræ,  
Magna Zamosciadæ quis nomina iactarentur,  
Nomina cœlorum proxima culminibus.  
Semper se obtulerint Mauortia gesta canenda.  
Et quæ magna Heros præstitit arte togæ.

vt leue

Ut leue sit munus molles resonare Hymeneos.  
 Dum majora vocant, pæne minora tacent.  
 Non tamen immunes, non mutas esse Camænas,  
     Nec stando studium perdere velle decet.  
 Nec vero Heroum sunt maxima seria sola.  
     In mediis splendent, seria multa, iocis.  
 At vos vel paries iam fecerit iste disertas.  
     Inclyta qui paries picta habet ora virum.  
 Quæsiuit, causa non sapiente sine.  
 Huc oculos adhibete Deæ, huc deflectite carmen.  
     Non procul a pictis carmen imaginibus.  
 Sic ego, sic Diuæ blanda sunt voce secutæ.  
     Et digitum Clio verterat ad tabulas.  
 Hæc quæcumque vides signata coloribus ora,  
     Vultibus e viuis transtulit apta manus.  
 Atque illi Diuûm numerum iam sedibus augent  
     Æthereis, vitæ post pia fata suæ.  
 Noster at his saceris gaudet latissimus Heros,  
     Affines virtus quos sibi vera dedit.  
 Hic qui subducto vultu, qui fronte sevra,  
     Viuacique oculo, canicieque breui,  
 Imminet auratis foribus, laquearia subter,  
     Conspicuus vestis simplicitate suæ,  
 Hic ille est ingens Tarnovius, ille vel Indis  
     Cognitus, armigeræ munere militiae.  
 Mox gelidos Marte indomito pulsare Triones,  
     Seu solitus Moschum, seu solitusue Scytham.  
 Atque Gethem, innumeris quamuis Gethes ibat in armis.  
     Parua manus tamen hos fuderat innumeros.  
 Testes albentes constratis ossibus agri.  
     Testis Obertini sanguine pinguis humus.

Artis opus fuit hoc, Ducas & solertia summa.  
 Ars facile immensis viribus ora domat.  
 Nec minus ille domi, si quando læta vocabant  
     Munia, paxque rotis fulserat in niueis,  
 Consiliisque opulens, rerumque grauissimus auctor,  
     Et iuris cautus fræna tenere manu.  
 Ad nostros idem facilis se flectere lusus.  
     Illiis hic primis creuimus auspiciis.  
 Barbariemque eluetatae, cæcasque tenebras,  
     Vidimus hic nostros molliter ire pedes.  
 Hoc patruo magno neptis nunc pulchra superbbit.  
     Quæ modo pulchra bono nupta Zamosciadæ est.  
 O Pater, o lux sola domus, o gloria prima.  
     Te, nomenque tuum, fama perennis habet.  
 Inuida sed longam stirpem tibi fata negarunt.  
     Nam seruavit opes filia sola tuas.  
 Non tamen inferiore loco fortuna recepit  
     Se tua, nec titulis deteriore tuis.  
 Ostrouis Ducibus, Ducibus queis Russia auitis  
     Assurgit, cœptis usque ab originibus,  
 Filia connubii postquam concessit honore,  
     Transtulit ad generos remque dominumque tuam.  
 Quare haud immerito, vel cum iam lumine functus,  
     Depicta tacitus cerneris in tabula,  
 Cernitur Ostrouius iunctus tibi maximus Heros,  
     Olim coniunctus militiæ studiis.  
 Constantine senex, tetrico te noscere vultu,  
     Et datur hoc multo crine comante gena.  
 Tu Moschum frænare ferox, tu vertere turmas  
     Doctus, & hostili sternere cæde solum.  
 Millia quot celsam profligas viator ad Orsam.  
     Militis haud ullo vulnere pæne tui.

Quot

Quot veritisque acies, rapidoque in flumine mersas.  
 Quot captiua trahis colla prehensa Ducum?  
 Scilicet ante tuum nullo superabile bello  
     Magnatum robur senserat ante Scythes;  
 Non bellare Scythes, non campo credere aperto,  
     Sed raptu, & volueri fidere suetus equo.  
 Tunc numero fretus, campestribus arduus aruis,  
     Olsanicza vago qua trepidat fluui,  
 Explicit Mauorti aciem, pugnamque petiuit.  
     Sed cito quam explicuit, tam cito damna tulit.  
 Exuperat res gesta fidem, numerusque cadentum.  
     Cum tamen e nostris vix minus villa cadit.  
 Fortunate senex, cui se Tarnovia iunxit  
     Et domus & virtus, & bona spes generis.  
 Nunc super usque nouis surge auctior incrementis.  
     Tarnouiis iuncta gente Zamosciada.  
 Cuius vel summo virtus se exæquat Olymbo,  
     Et splendor toto nominis orbe volat.  
 At sibi iam facies Stephani augustissima visum  
     Auocat, o magni Regis imago mei.  
 O quam dulce tuis saturari obtutibus, o quam  
     Os oculosque tuos cernere pervolupe est,  
 Et maiestatem reuereri, & figere mentem,  
     Et diu ex vultu nefcio quid capere  
 Sed tua facta modis tenuare ingentia paruis  
     Dedecet, aut curtis laudibus attirere.  
 Olim alias pleno liceat te dicere versu,  
     Inque tuum nomen libera vela dare.  
 Nunc sat erit, quanto tu semper promptus amore  
     Heroem in nostrum, quamque benignes eras.  
 Maxima virtutem eximiam cognoscere laus est.  
     Nec minor, inuentam surgere velle pati.


Virtuti innixi pollutum s<sup>e</sup>p<sup>e</sup> virorum  
 Vsque polo Reges inferuere caput.  
 Ergo tuo emicuit splendore Zamoscius Heros.  
 Nec minor ex illo lux tibi nempe data.  
 Hunc opibus, hunc tu titulis, & honoribus ornas,  
 Hunc dono magni denique coniugii.  
 Affini ut se<sup>e</sup>t tanto iactaret amico.  
 Nam virtus focero vel Joue digna satis.  
 Sed cita mors & te nobis, & post tua carpit  
 Heu nimium viduo dona Zamosciadæ.  
 Ille tui careat licet, & te cœlica regna  
 Detineant, curâ non caret ille tui.  
 Quin memori cultu, & merito te iustus honore  
 Prosequitur, quod eum magna iubet pietas.  
 Et tua seu duris seu rebus numina lœtis  
 Rite adhibet, grato sedulus officio.  
 Salve ô virtutum exemplar, decus addite' Diuis,  
 Gloria regnantum maxima, summus apex.  
 Sis felix, tibi perpetuâ se mente dicauit,  
 Æternum immotâ mente Zamosciades.  
 Quis vero hic mitrâ insignis, pallâque rubenti,  
 Purpureus capitis tegmine pone sui?  
 Frontis honore asper, nostri non sanguinis esse,  
 Nec bellatorum de genere arguerim,  
 Pontificum potius, queis aurea Roma superbit,  
 Roma orbis vi<sup>e</sup>trix, Roma polo imperitans.  
 Ite humiles genibus, terræque adsternite frontem,  
 Et pedibus sacris oscula prona date.  
 Hic ille est Quinti celeber cognomine Sixtus,  
 Incorrupti ingens præfidiis animi.  
 Quo rigida inuicto constantia gaudet alumno,  
 Approbat & solidi roboris imperium.

Non solitus curis tricari quippe minutis,  
 Nec leuia excenso voluere consilio.  
 Sed mente immensas orbis complexus habenas,  
 Scilicet immensi Pastor ut orbis erat  
 Quo pax tuta foret, quo Christi gloria sarta,  
 Barbarus atque hostis desineret furere,  
 Hoc studium pernox, hoc perugil ille gerebat.  
 Hanc vnam ardenti corde coquebat opem.  
 In te Turca fremens, in te totâ igneus irâ,  
 Perpetuis in te viribus ire parans.  
 Ergo queis primis constat res bellica neruis,  
 Innumeratas solers accumularat opes,  
 Defraudans geniumq; suum, parcusq; fruendi.  
 Sed conseruandi diuitior studiis.  
 Nec leuior magnos quæsita effundere in usus,  
 Et bene parta bono promere iudicio.  
 Nam quò diuitiae? quò gazæ structus acervus?  
 Vti congestis ni sciat ars melior.  
 Hac homo cumprimis diuinæ particulam auræ  
 Arte probat, iusto examine munificus.  
 Cautior hanc itidem postquam circumspicit ille,  
 Nutanti mundo qua ferat auxilium.  
 Ecce videt Stephanum belli tum laude vigentem,  
 Inconcessum animi, Diis pietate parem.  
 Cuius vel totus sceptro bene cesserit orbis,  
 Omnia qui immotus pondera sustineat.  
 Tum Stephanus Moschum quatiebat Marte cruento,  
 Livonum repetens debita regna sibi.  
 Victor & Arctoo fidebat in orbe trophæa,  
 Ad Tanaim sauos propter Hyperboreas.  
 Gevisus reperisse virum, totoque profusus  
 Erga illum studio, menteque tota animi.

Illius in gremiis posuit sua maxima vota.  
 Qualis sese auri gemma locat gremio.  
 Nec mora thesauros dites, tot structa talenta,  
     Pollicitis offert irreuocabilibus.  
 Et mandat Moschum porrò expugnare ferocem.  
     Barbaraque appresso colla domare iugo.  
 Hinc Dens & melior si sic fortuna tulisset,  
     Nostrum ut venisses Mosche sub imperium.  
 Auctior & populis, & plenis viribus ingens,  
     Concuteret Turcas, concuteretque Scytham.  
 Ipsosque arriperet belli ad commercia Persas,  
     Communis quos Mars ad socia arma vocat.  
 Et iam consiliis trepidabat Moschica tellus,  
     Seque Asiae nobis subdita regna dabant.  
 Nec te iam tuleras Turca importune superbum,  
     Nec fastu vrgebas bella nefanda tuo.  
 Cum tu sola salus, columenque ô maxime rerum,  
     Vnica spes Sixti, atque vnic Christiadum,  
 Subtrahis é mundo te, & limina morte relinquis  
     Et perimis tecum tot bona cæpta simul.  
 Ipse etiam Sixtus properâ te morte secutus,  
     Cum tibi non posset iam reperire parem.  
 Innumeris quamvis mortalia sæcla propages,  
     Magnorum & iactent nomina multa virûm.  
 Vnus homo tamen egregiam sæpe instituit rem.  
     Et sæpe amotus destruit vnum homo.  
 Nunc tu Sixte Pater, Stephano cum Rege beato,  
     Æterna æternum vesceris ambrosia.  
 Latus consiliis communibus, aurea mulcens  
     Corda ollis, in quæs vel voluisse sat est.  
 Nos mæsti & trepidi, & deiecti culmine tanto,  
     Dum venti magnas spes male dilacerant,

Ad vestra ardentes heu nomina suspiramus.  
 Anne ferant tales sæcla futura alios.  
 An veniat quisquam vestigia vestra secutus.  
 Curet qui obscenum tollere servitum.  
 Quod sensim irrepit, tacitaque ambage propinquat,  
 Imbelles habili compede collaqueans.  
 Ceu leporem pauido pacatum corde parumper,  
 Virgulti subter tegmine somnus iners  
 Dum recreat, procul amota latrante canum vi,  
 Securum infidæ pacis in insidiis,  
 Callidus inventum plantæ per signa trisulcæ  
 Venator, positis retibus involuit.  
 O magnæ, ô divinæ animæ, ô sanctissima corda,  
 O genus Heroum, ô vnicus orbis amor.  
 Vos iuvat æterno, vos carmine compellare.  
 Vos fama sedes tollere ad æthereas.  
 Præcipue vos hic pietate Zamoscius aurea  
 Percolit, æternum & percoluisse volet.  
 Et cum non liceat spirantes cernere coram,  
 Absentum fese pascit ad effigies.  
 Usque animo recolens, quantis tum conscius ausis,  
 Qua socius laudum parte futurus erat.  
 Olim ceu sonipes animosa ad prælia natus,  
 Affuetus sonitus acris amare tubæ,  
 Arduus oppositas saltu turbare phalanges,  
 Hostem dente audax & pede deicere,  
 Tum stabulo inclusus lente ad præsepio pigra,  
 Captiuo capiti dura capistra gerens,  
 Si phaleras, si fræna ferox splendentia sensit,  
 Audiit aut veteris murmura rauca tubæ.  
 Restam aurem figit, totosque assurgit in artus,  
 Lentamque in stabili calce retundit humum,

Illustri cupidus magnum se ferre triumpho,  
 Hostibus aut mediis vulnera sœva dare.  
 Frustra nam cupido retinacula ferrea stringunt,  
 Et vinclum audaci non sinit ire via.  
 Sed quod provehimur pulchro sermonis amore?  
 Talia non istis convenient numeris.  
 Hæc alias olim cum suaserit aptior hora.  
 Impleritque manum mascula rite chelis.  
 Jam mensæ amotæ, iam regnant libera vina,  
 Jam iuvenes quærunt surgere posse toris.  
 Et quærunt contrâ consurgere blanda puellæ  
 Turba, arrecta quibus mens volat in choreis.  
 Musica iamque mele sonuit clarissima signa,  
 Sponte sua argutum pes micat in numerum.  
 Cedamus spaciis, morem hunc convivia servant,  
 Attentosque demus lusibus usque oculos.



AD ILLUSTRISSIMUM AUCTOREM  
IN ENCOMIUM

*SIMONIS SIMONIDÆ*

*luculentissime ab Eodem conscriptum.*

J. E. MINASOVICII CARMEN

**Q**uis non SIMONIDAM ter dixerit esse beatum,  
Seu fato functus, sive superstes erat?  
Vivus enim Summo meruit (ZAMOSCIUS HEROS  
Qualis erat) felix sorte, placere Viro:  
Mortuus eximiâ celebratur, Maxime Vatum,  
Sarmaticus Vates laude, DURINE, Tuâ.  
Quod si principibus non est postrema, canente  
Vate Venusino, laus placuisse viris:  
Quæ laus SIMONIDÆ, quæm gloria nascitur ingens!  
Laudari à Tanto, quantus es Ipse, Viro.

*Natura Vatem sola facit. labor  
Si quos per artem promovet improbus,  
Clamore nequicquam procaci  
Rauca crepant crocitantque corvi  
Contra ministrum fulminis alitem.*  
Pind. Od. 2. Olymp.

RAYMUNDI

CRISAURO PHILOMUSO

RAYMUNDI  
CUNICH

IN GREGORIANO SOC. IESU ATHENÆO

POETICES PROFESSORIS

ELEGIAE XIV.

STYLO CATULLIANO

HACTENUS INEDITÆ.

ad

NOBILEM IVENTUTEM POLONAM

EDENTE

CRISAURO PHILOMUSO

ARCADIÆ PASTORE.

CRISAURO

# CRISAURUS PHILOMUSUS

## PRÆFATIO AD LECTOREM.

CUM quinque abhinc annis Romæ essem redux ex legatione Melitensi, cœpit me denuo voluptas ea omnia ibidem lustrandi, quæ sua antiquitate, magnitudine atque elegantiâ spectatorem detinent. Fuere in oculis:

Pantheon imprimis, medii de fornice templi

Quo patet orbe diei excipiens radios,

Et Capitolino rupes contermina Clivo

Unde Anser Gallorum expulit insidias,

Quaque patet notus Vaccarum nomine campus

Area Romani sola relicta Fori.

Quaque olim steterat sœvi domus alta Neronis;

Filia qua Patrem pressit equo celeri,

Cæsaris & magnos quæ aspexit Porta Triumphos,

Quæque Numantini splenduit ære ducis.

Sedesque eversæ fundo, *Lucretia* quondam

Quas tenuit demptâ cruda pudicitia:

Et quæ certantum manibus scelerata, videntum

Fecerunt oculos Amphiteatra reos.

Et Thermæ, & Circi, & cœlo affines Obelisci,

Iussaque non uno stare trophæi loco.

Saxaque de tumulis vulsa, effractæque Columnæ,

Et fumo nigrae Romulidum Statuæ;

Ursidii turpes Corvini & pulvere vultus

Manca etiam naso plurima dimidio:

Cæterea prætero quæ iam fallentia visus

Pulverulenta latent tristibus in tenebris,

Quæque peregrinis veniens stupet hospes ab oris,

Et circumductis figit hians oculis,

Doctaque

Doctaque bis deni veneratur rudera seclii,  
 Quot lapides cernit, tot ratus esse Deos.  
 Hisce, quoad licuit introspectis obtulerunt se oculis Pontificum  
 Palatia atque Magnatum, sylva partim inordinatae, partim longis ordinibus in quincunes digestae, Picturæ etiam Bonarotæ,  
 Urbinatis, Titiani, Caravagii, aliorumque præclari nominis Pi-  
 ctorum, quæ sive in Templis, sive in Virorum Principum domi-  
 bus, privatisque etiam Musæis, sive in Foris, Compitis, Villis  
 Romæ extant, aliaque plurima. Quæ dum avidus lustro incre-  
 dibile est, quanta voluptate simi perfusus, nec facile valeo ex-  
 primere, quæ gaudia meum peccus pertentaverint. Verum his  
 omnibus postea subductus, & per amicorum Eruditorum hic illic  
 stationes domosque & collegia oberrans, forte in Cellulam Ray-  
 mundi Kunich delatus fui: Veni huc plane tanquam *Capra ad*  
*festum suum*, & oculis meis repperi debitas delicias & proprium  
 Poetarum spectaculum. Incidi quippe in foliorum struem quam  
 Elegiæ inscriperat; lascivire porro cœpi inter schedas hasce, ve-  
 luti inter nucum cumulos Cercopithecus, aut in farris acervo  
 Curculio. Uri ex avido armorum contactu Achilles, ex fulgen-  
 iis clypei obiectu Raynaldus deprehensus fuit, potuisse & ego  
 deprehendi ex sollicita chartarum volutatione. Hinniunt ad-  
 missarii Equi, cum Equarum odor nares adflat. Idem fere mihi  
 evenire sensi ex conspectu Elegorum *Raymundi*, quo Poeſeos ge-  
 nere pasci soleo tanquam rore suo Cicada aut veluti thymo suo  
 Mellilegæ Volucres cives redolentis Hymetti.  
 Nec contentus subitâ & perfunditoria lectione precibus inducere  
*Raymundum* conabar, ut tam bellos tam Catullianos Elegos  
 publici iuris faceret! Negabat ille. Quæ autem edi opera pre-  
 tium non putabat, sæculo acutissimo, adeoque inter amicos pe-  
 rire volebat, ego ut ingeniosissima, & antiqui saporis eidem  
 propinanda pvtabam. Displicebat fœtus Parenti *Raymundo*; pla-  
 cuit susceptoris *Crisauro*, & quem pro derelicto habebat, ut be-  
 ne natum excepti ulnis, ac tandem Eruditorum nunc oculis

ostento, uti famæ gloriæque, ita & invidiæ securum. Familiare hoc magnis ingeniis, ut quæ scribunt optima damment ipsi, aut quæ artis documenta dissimulant per modestiam, aforum esse iudicij mavelint quam sui. Et forte non est cuiusvis de hoc studiorum genere iudicare. Formarum Censores plurimos habemus, boni & erecti carminis paucissimos. De illis sententiam dicere possunt etiam maxime deformes. De his non nisi Poetæ, & ab eodem sidere tacti. Est ex illarum numero facultas Poetica, quæ actione & usu comparantur; & uti idonus rerum civilium iudex esse nequit, qui se rebus & res sibi subduxit, ita Poematis genium non capit, nisi ab eodem genio afflatus. Quare nec ad Poeticum hoc epulum cupiam accedere *Aesbios* Ovidii sectatores, aut potius simiolos illos, quibus nonnisi bisyllabis exit vox, sed quibus Catulli & Propertii numerosa trisyllaba & quadrisyllaba in virtutibus sunt. Quin & illos procul esse iubeo, qui cum noctuæ sint, indignantur se non vide-re vim & gratiam Catulliani & Propertiani carminis, quod scabritie plenum & subobscurum ipsis videatur. Etiam hic locum habet: *Qui nucleum effi vult, nucem frangat oportet;* Non hæc  
*Venerum in Patria, crassoque sub acre natis,*  
non hæc egregiis Vini Hungarici, sed Permessidos undæ potoribus scribuntur, atque eruditio attentoque Lectori, cuique repetita lectio secreta aperit; Quæ diluti & fatui saporis sunt, gustamus cum fastidio & contemptu, quæ vero erecti, attenta pitissatione & frictione, crebrisque morsificationibus. Delicatos convivas advoco, quibus

*Inspidae haud sapiunt Fabrorum prandia betæ,*  
sed Ficedulas Perdices & Phasianos in deliciis habent. Loquor citra gratiæ spem. *Raymundi* nostri Elegi verborum emphasi lepore & copia Veronensem Vatem provocant ac præcipiat syllaba

*Illâ, quæ paucorum auribus insonuit.*

Cui sapiet cibus iste delicatus, gratulor, & se multum in Poesi profecisse sciat, cui Raymundus noster valde placuerit, cui vero non sapiet, expuat. Non fert thuris odorem ad flivam enutritus, nec erectam Catulliani carminis fragrantiam, iterum cum Horatio dicam,

*Vervecum in patriâ, crassoque sub aere natus:  
atque o! utinam mi Lester*

Dent tibi Raymundo Musæ accessisse Cunichio

*Asebius quantum proximus est Bavio.*

Et dabunt, mihi crede, si

*Nocturna versesque manu, versesque diurna.*

hasce Raymundi nostri Elegias, in quibus Musæ & Charites ipsæ tenellos suos digitos fragranti rosarum succo delibutos, ut in Callimachi Poematis olim, abluisse sunt visæ:

Ergo inficetus, ruris & plenus nisi

Musis abhorres, hos versus frequens lege.

Et vale. ex Musæ nostro Varsaviæ Mense Octobri Anno  
MDCCLXXI.

AD LECTOREM  
CRISAURI PHILOMUSI  
IN LAUDEM  
RAYMUNDI CUNICH

POESIS VARIA.

JN nova mutari quicumque haud corpora formas  
Posse putat, Vatem Cunichium evoliat  
Inque ipsum inveniet mutatos quattuor unum  
Te Naso \* atque Albi, \*\* te Aureli, † te & Valeri. §  
O mirum! & nulli credendum, Cunichio in uno  
Quattuor illustres vivere una animas.

N 2

AD

\* Ovidius, \*\* Tibullus, † Propertius, § Catullus.

(66) (100) (66)

AD EUM DEM  
*Quisquis es Musarum Cultor siste in his Elegis*  
Non tam oculos, quam aciem studiosæ mentis;  
Quidquid in Callimacho, Catullo, Propertio  
Venerata fuit antiquitas  
Totum hoc exhibent  
*Cunichii nostri*  
Eruditissimæ paginæ:  
Eas volve in Parnasso eris, Helicon patebit;  
Lege numeros; puriores dabit Castalius latices;  
Percurre cantus; voces dixeris Aonidum.  
Prodeant in lucem  
*Vindice Crisauro:*  
Et doctissimi ingenii fætus iste  
Sit perpetuum in posteros exemplar,  
Non quod possint, sed quod imitari desiderent.

AD EUM DEM.

Miraris Caji, \* miraris docta Propertii  
Carmina, iam *Cunich* perlege, utrumque tenes.

AD EUM DEM

*Endecasyllabum.*

Non est, crede mihi, datum cuivis  
Conscriptisse Elegos *Cunichianos*;  
Res est difficilis, laboriosa,  
Quæ multum tibi fecerit negoti;  
Sed si forte putas datum cuivis  
Conscriptisse Elegos *Cunichianos*;  
Et tu non mihi crede, fac periculum.

*Conscriptisse*

\* Catullus.

Conscriptisse Elegos *Cunichianos*  
Ex te tunc capies datum haud cuvis.

## AD EUM DEM

*Endecasyllabum.*

Si verum Samius docet renasci  
Defunctorum animas, migrare & illas  
Nova in corpora saepe; pernagarit  
Quis doctum, lepidum inclytum Catullum  
Tot iam saecula mortuum, renatum  
In Raymunde tuum migrasse pectus;  
Cum quas ille habet elegantias et  
Sermonis Veneres latinioris,  
Poesis numeros vetustioris  
Illi omnibus ipse sic abundes,  
Nequaquam ut queat ipsem Catullus  
Argute magis, eloqui aut latine.  
Quod si tu Samii Senis vetustum  
Falsum dogma putes & improbaris;  
Hac Cunich ratione praedicabo  
Nostrri temporis esse te Catullum,  
Cum condas Elegos Phaleuciosque  
Certantes pedibusque syllabisque  
Et phrasi & Venere & sono, Catulli  
Cum Vatis pedibusque, syllabisque  
Et phrasi & Venere & sono: refers quem  
Plane in omnibus, hocce præter unum  
Quod tuæ Veneres, tui lepores  
Sint Raymunde novi, illius vetusti.

## CRIS AURI PHILOMUSI

## ELEGIA

## AD RAYMUNDUM CUNICH

CONSCRIPTA ROMAE.

Jam satis est, piget hercle novis in carmina votis  
 Et toties hausisse Aonidum latices,  
 Et Cyrrham toties, totumque Helicona movere,  
 Ut surgat Clario pagina plena Deo,  
 Si nihil haec prosunt, si me nec Apollo vocatus,  
 Pieris ex omni & nulla iuyat numero,  
 Ante quidem stultus mei qualiacumque putabam,  
 Multaque erat lusus fingere magnifice,  
 Afflatu quasi mens sacro, & cœlestibus auris  
 Ætherioque mihi semine fæta foret,  
 Deserentque suam Musæ ad mea vota Pyrenen,  
 Et iuga quæ montis Phœbus amat bifidi,  
 Sed mihi verba dabam, falsaque ab imagine lusus  
 Rebar adesse Deos, qui mihi non aderant.  
 Nunc sensi demum, nec enim tibi vera negabo,  
 Cum licuit perpendisse tuos Elegos;  
 Hei mihi quam cœpit Raymunde pigere meorum,  
 Quantus in ora rubor venit ab his subito!  
 Ah, dixi quoties, ubi sunt in carmine Musæ?  
 Phœbus ubi est? qualem fingere mi volui.  
 Ut mihi displicui! pluteoque impacta per iram  
 Sæpe ferenda dedi carmina sub pedibus,  
 Carmina quæ stulto mirabar ineptus amore,  
 Quam conferre tuis antea possem Elegis:

Sed simul

Sed simul admovi, migranti horrescere nocte, et  
     Pagina visa mea est condier in tenebras.  
 Inde tuum iubar emicuit, purumque refusâ  
     Auxisti nobis hac quoque luce diem.  
 Sic ubi sol mediis rutilum caput evehit undis,  
     Atque umbras rerum perficit exiguae.  
 Quæ modo densatas poterant clarere per umbras  
     Sidera solari pressa latent radio.  
 Sic ubi spectata est, nigris quæ dives ab Indis  
     Lumine nativo gemma tenet pretium.  
 Ridentur nitidi, coram mendacia vitri  
     Et contempta solo quassaque testa iacet.  
 Sic ubi sub vultus stetit auri lamina fulvi,  
     Quam modo Dædalea cudit ab arte Faber,  
 Protinus æra suâ nobis ærugine sordent,  
     Vnicus atque auro conciliatur amor.  
 Vnica sic, Raymunde, Tibi fama, unica posthac,  
     Atque Catullæi gloria Vatis erit.  
 Namque tibi Charites, numerosaque syllabadebet,  
     Syllaba, quæ paucorum auribus insonuit.  
 Omnia summa tenes unus, quæ singula pauci  
     Nullaque de quavis pars tibi laude vacat.  
 Omnia tam dulci verborum nectare manant,  
     Nil, ut ad hosce tuos mella sient Elegos.  
 Haud equidem credo mihi certior ulla Catulli  
     Pagina, quam tua nunc mente sedet memori.  
 Non ego sim tantis Laudator idoneus orsis  
     Nulla valet linguam lingua referre tuam.  
 Nec hoc ingenium capit e mortalibus ullus;  
     Atticidas doceas Ausonidasque loqui.  
 Esse potes tantum tete facundior ipso,  
     Teque alias nisi tu dicere nemo potest.

RAYMUNDI

## RAYMUNDI CUNICH

RAGUSINI

x Soc. JESU

ELEGIE

## AD MYRAEUM SUPREMUM

ARCADIAE CUSTODEM

## ELEGIA I.

Quod me insperato, nil quidquam tale putantem  
 Esse unum vestri, doce, Myraee, chori,  
 Pastoremque iubes fieri, atque inflare cicutas  
 Ludentem Arcadio gnaviter in nemore,  
 Id gratum est, sane gratum, acceptumque profari  
 Quantum vix potis est haec mea Calliope,  
 Quæ se fracta animi, lucemque perosa, neque hilum  
 Jam sperans penitis abdiderat laribus:  
 Nec prodire foras quodquam, aut ostendere cuiquam  
 Audebat fatus pauperis ingenii.  
 Et saepe, ingenti quos anxia non sine cura  
 Versus in longis noctibus extuderat,  
 Aut nigri obducens perdebat labe veneni,  
 Monstra velut, matri dedecus; aut avidæ  
 Quæ comes adstabat scribenti sola, vorandam  
 Ipsa suam prolem sponte dabat faculæ:  
 Vel se contemnens, nec sperans edere posse  
 Digna legi a quoquam; tempora vel metuens  
 Haec mala non Phœbo, non sanctis æqua Camenis.  
 Nunc eadem, tibi se quod placuisse videt,

Seque

Seque probat, servatque ac profert scripta, caninum  
 Latrantis dentem nec timet invidiae,  
 Quidquid & in teneros doctorum hirsuta Poetas  
 Effutis grandi turba supercilio.  
 Atrox turba, sapit cui nil non triste severum,  
 Horridulum, iratis nata Heliconiasin,  
 Irato risu, atque loco, dulcique lepore.  
 Quæ, siquid vates promimus aërio  
 Delatum ex Helicone, aures quod mulceat apte,  
 Quodque animum pulchris laetet imaginibus,  
 Continuo id totum spernitque ac despuit, & nos  
 Nil narrare nisi somnia vana putat:  
 Nil nisi falsidicis mendacia texere verbis.  
 Jupiter! ut facies extima fæde homines  
 Ludit! qui penitus tamen omnia cernere se se  
 Rentur, vique acris dispicere ingenii.  
 Puta etenim in speciem quæ sunt mendacia, condunt  
 Sæpe bonæ multum frugiss, & utiliter  
 Occultant vitæ quod proflit, pandere verum  
 Quod possit, mores quod regat, ingenium  
 Quod certe adsperrat factis, dictisque leporem,  
 Ne pulchri atque faceti omne genus vitiet  
 Ille iterum squallor Saturnius & grave virus:  
 (Dii talem longe avertite perniciem)  
 Et vita ad glandes redeat, mosque ille ferinus  
 Asperet humanum, dissocietque genus.  
 Quem contra morem certum est pro parte virili  
 Pugnare, atque istis, Pieridum studia  
 Qui culpant, stulte sapientes, nolle placere:  
 Sed magis usque tuo fidere iudicio;  
 Usque tuum, hos inter, queis nil est cultius usquam,  
 Pastores, carmen scribere ad arbitrium.

Tecum Mænalias, vatum nemora ardua, saltus  
 Lustrare, ac sedes visere Apollineas.  
 Pulcher ubi veteris Jani mons dictus ab auro,  
 Dat gelidum doctis cœtibus hospitium.  
 Gramineique tori subter, circumque, supraque  
 Et myrti, & lauri, flexibilesque hederæ.  
 Rivus ubi, summo qualis de vertice Pindi  
 Murmurat illa cadens nobilis unda, pede  
 Quam presso, ut perhibent, equus ales Bellerophontis  
 Explosam e duris cautibus evolut.  
 Dulcis ubi vatum resonat vox, flavus ameno  
 Quam pater auditam Tibris ab amne refert.  
 Quam cupida babit aure oculos nec fantis ab ore  
 Demovet admirans densa corona virum;  
 Fulgentesque auro proceres, regumque Senatus  
 Laudant purpurei carmina docta Patres.  
 Docti hercle, atque diserta, suis quæ non modo Panes  
 Et Fauni certant scalpere in arboribus,  
 Sed Musæ excipiunt memores, inque ære nitenti  
 Giudent inversis scribere litterulis.  
 Subdere dein prælo properans, impressaque Famae  
 Tradunt; illa volans trans Rhodanum & Tamesim  
 Deserisque, spargitque, manu versanda virorum.  
 Affidua & cupidis usque legenda oculis.  
 Romuleis ne forte putent migrasse Camenas  
 Collibus, Ausoniis præferat ingeniis  
 Ne se usquam gens ulla aut conferat. O bona pubes  
 O Phœbi, o Romæ delicium, o columen  
 Et decus Italæ soli cantare periti  
 Arcades! algenti natus in Illyria  
 Versor ego vestro in cætu! iam carmina mi fas  
 Pangere vos inter! iam mihi fas calamos

Mænalii Panos gestare, ac tangere labro!  
 Jam vester Socius dico, & Arcas ego!  
 O vere niveam mi lucem! quid tibi, quid me  
     Debere hoc tali pro merito fatear  
 Doce Myræ? quam quid reddere? nempe quod unum  
     Reddi vis, quoquo miseris ut docilis  
 Pegaseos cursus ineam, & ferar ocyus Euro.  
     Id faciam id Faunos per tibi Capripedes  
 Panaque, Sylvanumque sacrisque horrentia lucis  
     Mænala & Alphei flumina polliceor.  
 En age iam da lora. Canam vel prima furentum  
     Anguipedum in magnos prælia torva Deos.  
 Cæcumque, Enceladumque, & sævæ Pallados atram  
     Gorgona, & irato fulmina missa Jovi  
 Quidquid & ille, aufert dum monstrorum genus omne  
     Passus falsiparens Amphitryoniades.  
 Orpheo vel Vatum Patrem, magnum Orpheo, dignum  
     Æquari summis Orpheo Cælitibus:  
 Quandoquidem potuit cæcis abducere ab antris  
     Sæcla hominum, ac tetram pellere barbariem  
 Tetram hercle ac fædam, turpantemque omnia fæde.  
     Quam cur non monstris omnibus anteferam.  
 Herculeus quæcumque labor, levibusque sagittis,  
     Nodosæ & clavæ robore perdomuit.  
 Nam qua Stymphali volucres, Lernæaque pestis,  
     Quave queat nostrum perdere clade genus  
 Tanta, prodigium Nemeæ, Leo; susve Erymanthi  
     Horrens, dentem acuens, aut vigil usque draco  
 Hesperidum, quanta vitam radicitus omnem  
     Perdebat gliscens illa animi feritas  
 Abnormis, demens, infans, vi freta lacertisque  
     Et legum, & virtutum inscia. quam domuit

Non hastamve manu quassans, galeave timendus  
 Sed lenis blanda carminis illecebra:  
 Namque virum, dias mater quæ in luminis oras  
 Calliope fudit vertice in Aonio  
 Ipsa suas artes docuit, complensque bonarum  
 Notitia rerum multiplici ac variâ  
 Et formans linguam, ac digitos cum voce loquentes  
 In numerum; iussos ut lyra pulsa sonos  
 Redderet usque comes verborum fida, nec auri  
 Grata modo, sed vi prædita flexanima  
 Concentu sensusque imos & corda cieret.  
 Quæ postquam vates omnia perdidicit,  
 Horriseros Pindi saltus, maternaque regna et  
 Dulces Phœbei delicias nemoris  
 Deseruit miserans hominum genus ærumnosum:  
 Et solus pubem venit ad indomitam;  
 Natus non cætum sed fæda armenta virorum,  
 Atque merum squallorem, horridam & illuviem.  
 Nullus adhuc terram ferro subigebat arator;  
 Nemo usquam flavæ dvitias Cereris,  
 Palladios nemo succos felicis olivæ  
 Aut Bacchi humorem noverat ambrosium,  
 Nusquam urbs, aut patriæ sedes, privique penates  
 Incerto passim per nemora hospitio  
 Vitam infelicem tractabant more ferarum,  
 Pars ripis fusi corpora flumineis,  
 Pars querceta inter strati glandemque legentes,  
 Pars propter scetus, o pudor! arbuteos  
 Vnguis & rabido miscentes prælia dente,  
 Aut fuste alternis non sine vulneribus  
 Ah miseri! cum mens tenebris demersa latebat  
 Ignis ut immundo suppositus cineri.

Nec

Nec scibant recti qui fons, qui limes honesti,  
 Jusque piumque, & mos, & decor, & ratio:  
 Nec morem norat naturæ. Corda micabantur  
 Seu tonitru ex altis nubibus audierant,  
 Seu valido perflata Euro sylva alta sonabat,  
 Littora seu fluctu pulsa dabant gemitum,  
 Sæpe illi suda lunam cum nocte ruberet  
 Crediderunt sparsas sanguine habere genas.  
 Sæpe etiam sero cedentem vespere solem  
 Clamaruntque alto mergier Oceano.  
 Mærentesque diem magnis plangoribus alnum  
 Ibant extremis querere littoribus.  
 Dulcis at arguti postquam sapientia vatis  
 Pierium tacta carmen hiare lyra  
 Institit, arrestas vix dum sonus impulit aures,  
 Persentire imo in peftore mirificos  
 Attoniti motus animorum, immania corda  
 Cœperæ ac tristem ponere barbariem  
 Paullatim: ut verni cum sibilat aura Favoni  
 Deponit tumidas molliter unda minas:  
 Ille autem placidum leni crispat mare flatu  
 Permulcetque alis cerula puniceis.  
 Ac velut Hybleæ volucres examina densant  
 Cymbala cum & Phrygiæ sistra sequuntur opis.  
 Orpheo sic tum omnis gens effera circumstabant,  
 Quos vates multa callidus illecebra  
 Captabat cytharæ pertentans fila sonantis,  
 Dulciaque ignota carmina voce canens.  
 Iamque adeo illectis varioque expromere nutu  
 Sensa animi, & voces addere quamque suo  
 Nomine rem signans, linguæ ut commercia starent.  
 Quæ postquam viator intulit, altiloquo

Mirantum cœpit mentes percellere versu,  
Et turbare acri concitus eloquio.  
Quis furor est, miseri, glandem atque cubilia propter  
Sævam fraterna spargere cæde manum.  
Quod genus hoc vitæ? qui mos? per lustra vagari  
More suum & pecoris caprigeni. Rigidam  
Anne hyemem, ventosque iuvat perferre nivales?  
An iuvat assiduo corda pavore quat,  
Et media venienti Vrso decedere nocte  
Et fugere impastæ cum fremit ira Lee?  
Ah pudeat fædi vietus, pigeatque laborum,  
Iam vitam in melius vertere tempus adest.  
Tempus adest ratio quo se iam proferat alma  
Noctem abigens. Divum progenies animum  
Nosse, tua iam nosse istum, qui mente corruscat  
Fulgor, quem puris luna nitens radiis  
Vincere non certat, non sol quo tempore clarum  
Metitur niveis æthera quadrijugis.  
O bene consultum erectus ad sydera vultus  
Quod gerimus magni numinis illa domus  
Illa Dei sedes, totum qui complet Olympum  
Aëraque ac terras ac mare fluctuonum  
Mentis & humanæ latebram rimatur, & omne  
Quidquid id est clausum fasve nefasve videt,  
Debita ne desint virtuti præmia, desit  
Vllis nec merces debita flagitiis.  
Tum canit Elysiumque nemus, placidamque piorum  
Sedem hominum æternæ gaudia lætitiae  
Præbentem longe camposque & florea rura  
Crescentem & passim largiter ambrosiam.  
Addit Cimmerias fauces, noctemque profundam,  
Jaçtantemque manu sulphura Tisiphonen

Verberaque

Verberaque immanesque rotas, volvendaque saxa,  
Rimantesque epulis viscera vulturios:  
Nota quidem vati sed nondum visa; iugali  
Nec sibi adhuc vinclo iunxerat Euridicen  
Infelix raptam fato quam luxit acerbo  
Quæsivitque amens, condere se in bærathrum  
Ne timuit, lustrans quidquid tellure sub ima est,  
Ausus & inferni limen adire Jovis.  
Tempore quo, ut perhibent, illecti carmine manes  
Latratumque triceps bellua continuit,  
Sibila & Eumenidum torvi tenuere dracones,  
Ne dum hominum posset cedere nolle genus  
Suaviloquo vati, nec velle admittere cultum  
Communique suas figere in urbe domos,  
Et sævo terrore ac vi procul ablegata  
Certare alternis comiter officiis.  
Salve magne parens hominum interpresque Deorum  
Barbaries primum quo duce viæta fuit.  
Salve Orpheu, meliorem agimus quo vindice vitam  
Nec cæcis ævum hoc degimus in tenebris,  
Te sequimur, te magne, pio qui pectori blandum  
Parrhasio carmen ludimus in nemore  
Culta satis tamen ut musæo capta lepore,  
Romulidum nitreat mens magis atque magis.  
Neu morum illuvies trans duros pulsa Gelonos  
Ingruat ah pulchræ turpiter Italiæ.

ROGERO

112

ROGERO BOSCOVICHIO

ROMAM REDEUNTE

ELEGIA II.

ERgo meus fœdā morbosī e sede Maconis  
Rogerus niveis huc redit alitibus,  
Et flavum Tiberim & Capitolia celsi revisit!  
Ergo virum, sanctæ fœdus amicitia  
Cui me sic totum devinxit, carior esse  
Ut fratri frater non queat unigena;  
Cuius saepe meo mercari funere vitam  
Optavi, dabitur sospitem & incolumem.  
Amplecti, colloque affundi, notaque verba  
Audire, inque vicem reddere! io trepidat  
Pectus! jo! vario miscentur corda tumultu,  
Mensque furit cunctis ebria lætitiis.  
Qualem Agamemnoniam quondam perhibent Electram  
Postquam insperato, cui soror inferias  
Miserat, & flavum ponens de vertice crinem  
Mœsta diu falsos fleverat ad cineres;  
Vivum insperato, & reducem conspexit Orestem  
Plenam exultanti pectora lætitia  
Bacchari insanum in morem, nec parcere voci,  
Atque arête fratris colla, humerosque sui  
Complexam; interea singultu non sine crebro  
Ubertim dulces fundere lacrymulas.  
Aut nihil, aut modicum cui nunc mea gaudia cedunt,  
Quippe etenim similis mi dolor, anxifero  
Ægram convolvit curarum turbine mentem.  
Ut timui! totos ut miser obrigui,

Contre-

Contremuique artus, tristis cum nuncius aures  
 Perculit ah! fœdos inter Othomanidas  
 Versari extremo Rogerum in limine lethi!  
 Jupiter, ut mœror mi gravis obruerat  
 Mentem animi! assiduis ut luctibus externato  
 Incubuit magna mole dolor! socii  
 Obiiceret cum se vigili pallentis imago,  
 Turbarentque animum somnia dira meu m.  
 Infelix longe! nunc ille aut æger anhelam  
 Axe sub ignoto vix trahit ore animam,  
 Aut Thracas inter nulli defletus amico  
 Me miserum! obscena contumulatur humo.  
 Nec prosunt, pura coluit quas mente, Camœnæ,  
 Pulchraque Calliope, candida & Uranie.  
 Quamvis tempa Deam cœli super alta vocantem  
 Usque sequens celeri flammeus ingenio  
 Astrorum positus, ortusque obitusque notaret,  
 Dein caneret cultis omnia carminibus.  
 Quæ Rhodani & Thamesis probat accola, maxima rerum  
 Quæ probat, & cupido lumine Roma legit.  
 Eximius Phœbi cultor, cultorque Mathesis  
 Num minus immitis tristia Persephones  
 Iura subit, fatoque cadit præreptus acerbo!  
 Iam cadit, aut cecidit; ( me miserum ) cecidit  
 Jam certe: ( famæ frustra mendacia culpo )  
 Heu rapte ante tuum dulcis amice diem!  
 Heu iucunda tuo subito lux rapta sodali,  
 Quem tibi Thesea iunxerat usque fide  
 Communis patriæ vinclum, & tua plurima virtus;  
 Ultima nec solvit mors; tibi perpetuos  
 Quin gemitus memor & lacrymas dem nocte perennes,  
 Atque die, sola tristior Alcyone.

Hæc timui, hæc flevi fletum, & quæcumque timebam,  
 Jam levis in nubes dispergit aerias  
 Aura, vel Ionum sparsit mergenda per æquor.  
 Vivit io! mortis latus & indomitæ  
 Horrendos fugit riætus, almæque salutis  
 Debita pro salvo dona tulit capite.  
 Esleda quin rapuit viator, cursuque citato  
 Fertur ovans dulcem rursus ad Ausoniam,  
 Et Latium, & Romæ regalia testa revisit;  
 Quæ tamen e si olli nescio quid tacite  
 Succenset, sibi quod Gallos, tristesque Britannos,  
 Et sedam Thracum barbariem antetulit,  
 Atque suis toties tam longe abscedere muris  
 Sustinuit duro ferreus ingenio;  
 Attamen & læto præfert bona gaudia vultu,  
 Et reduci totos pandit amica sinus.  
 Carpe viam, torto nec parce auriga flagello;  
 Quem vehis expectat Roma, vocatque virum?  
 Ah! ne illum, ne quis, qua transit cumque, moretur,  
 Et teneat blando blandus in hospitio:  
 Ah! ne illum abripiat discendi quo calet ardor,  
 Curaque visendi plurima tardet iter.  
 Vindobonam timeo, priscique Antenoris urbem,  
 Teque bonis florens artibus eximie  
 Felsina Musarum sedes. ah! parce Roberte,  
 Parce tuis, oro, dulcibus alloquiis:  
 Cumque aderit citharae ne pulsa fila sonantis:  
 Felsinea longas ducet in urbe moras  
 Audierit si te Pindi florentis ocella,  
 Miscentem doctis pectora carminibus,  
 Mulcentemque aures cantu, quo surgere Thebæ  
 Quippe iterum possint, densaque in aero

Sylva iugo passim cautes reptare per altas,  
     Ad numerum, & motis frondibus adnueret.  
 Dii bene; non usquam lento cessavit, ab urbe  
     Iamque adeo haud longam fertur abesse viam,  
 Tertia mi reducem sistet, vel quarta sodalem  
     Lux bona, natali dulcior illa meo;  
 Dignaque signari nivei candore lapilli,  
     Digna mero & blandi thuris honore colit.  
 Aurea lux, omni lux o mihi carior auro,  
     Formosum Oceani profer ab amne caput.  
 Dium pulchra caput profer; sic turbidus austus,  
     Nigraque dum surges nubila diffugiant;  
 Quaque ibis sternantque viam, largoque Rosarum  
     Ludentes iaſtu luxurient Zephyri.  
 Interea, ingrati quando hæc me cura Lycei  
     Tristis in occursum longius ire vétat,  
 Hæc mi animum certe pascet venientis imago,  
     Ipsa ſibi quam mens pingit & affidue  
 Sic videt, ut vigiles vere quæ cernimus, ipſis  
     Quæ luce in media subdita ſunt oculis.  
 Qualis ades, Rogere, valensque vigensque, nec ullis  
     Morborum atque viæ casibus edomitus!  
 Quantus ades! rerum lustrato ex orbe bonarum,  
     Quas amplio inclusas pectore divicias,  
 Magne refers! prohi quæ doctrinæ aggesta ſuppellex  
     Omnigenæ! quantam nec vafer ille domum  
 Tot terras Laertiades tot coerula mensus  
     Rettulit, ille licet Protea fatidicum  
 Audierit, Circemque, & Diæ, verba Calypſus.  
     Ut reducem lœtis vultibus excipimus,  
 Et cupide affamur, ruimusque in colla ſodales  
     Unanimi! vix ut credimus incolumem

( ) ( ) ( )

Venisse! ut longos cursus, longamque laborum  
Audimus cupidis auribus Iiadem!  
Totque hominum mores; tot mira inventa, tot artes  
Narrantis diti pascimur eloquio:  
Miramurque, tuo & taciti pendemus ab ore,  
Obliti somnum, furva licet biiugo  
Procedens curru medium nox pulset Olympum,  
Inque undas tardus iam ruat Arctophylax!  
Hæc ego decepta tuor ut præsentia mente,  
Et rerum sicutis lætor imaginibus.  
Ta tamen, o socii adventu mihi sancta futura,  
Ocyus æquoreis, lux bona, surge vadis.

### ACHAMANTEM PALLANTIUM

SUPREMUM ARCADIAE CUSTODEM DE MYRAE

Ropheatici obitu atque apotheosi.

### ELEGIA III.

PArrhasii Custos nemoris, quo præside læti  
Arcades huc cœtus rursus ad ingenuos  
Cogimur, has duxi ad sedes, hæc digna Camœnus  
Fulgidaque & vario testa polita opere,  
Doce Achamas, ne me lacrymas, ne flebile posce  
Solvendum extremas carmen ad inferias.  
Nec fas Arcadiam est fieri, te nausta Magistrum  
Quæ nitet, atque viget pulchrior, & melior;  
Et vatem (ut stolidi plorantur funera vulgi)  
Fiere pium mœsto carmine Musa vetat.

Musa etenim, tua dum cupidus præcepta facebo,  
 Visa mihi est numeris parcere flebilibus,  
 Iussit & incepto stulte desistere luctu.  
 Id tibi ego ut gestum est candidus hic referam,  
 Quippe dolens rapti deslebam fata Myræi,  
 Phœbique institeram ad carmina poscere opem;  
 Huc dextro huc vatum Smintheu Rex numine, seu  
 Materna Ægæis Delos in æquoribus,  
 Propter aquam seu te Parnassidos Hippocrenes  
 Mons sacer umbroso detinet in nemore,  
 Huc Pater, huc Tymbree veni, sed detrahe fronti  
 Laurum, nec Syrio rore madens niteat  
 Cæsaries formosa: ostro pro divite pulla  
 Veltis ad extremos defluat usque pedes.  
 Omnia mœsta decent: magni nunc fata Myræi  
 Flendum est, heu sacra quem rapuere manu  
 Eximiis Paræ dignum virtutibus ævum  
 Ad multas alias ducere Olympiadas;  
 Tithoni dignum durare aut Nestoris annos,  
 Et longa incanæ sæcula Deiphobes.  
 Quid misero ingenium fœlix, quid nobile carmen  
 Et magnum Latia nomen in Arcadia  
 Frosuit; & vatum quod primus Regna tenebat  
 Parrhasi custos arbiter & nemoris?  
 Quid sua cœruleos ultra prolata Britannos  
 Hybernosque ultra fama Boristhenidas?  
 Et Vatum illa manus doctorum, litore ab omni  
 Arcadicas nomen quæ eupide in tabulas  
 Læta dabat, septemque sibi poscebat avenas,  
 Aptaque pascendo rura beata gregi?  
 Munera quid Regum multa & præclara tulisse,  
 Gaudentum e cœtu dicier Arcadico,

Gaudentum in sacris scribi sua nomina truncis?  
 Quid miserum hæc Vatem tot bona, tanta iuvant?  
 Num minus heu sacro consumptus funere sensit  
 Parcarum immites in sua damna manus?  
 Crudeles Parcæ, furvum genus, omnia quarum  
 Nostra hæc obscaenis dispereunt manibus,  
 Quarum nulla potest vim duram flectere virtus!  
 Hæc ego sic multo tristia cum gemitu  
 Verba dabam tremulo singultu infracta; fluebant  
 Mœstæ perque genas, perque sinum lacrymæ.  
 Cum subito (Vatum nec narro insomnia, nec quæ  
 Decepta obscuris viderit in tenebris  
 Mens animi simulacra, quibus sed nil pote quidquam  
 Esse usquam in Pindi verius historia)  
 Uranie ante oculos pulchra adstitit: intremuere  
 Mi artus, hæsit vox faucibus in mediis.  
 Diva sed accedens Roseo lœtissima vultu  
 Horrorem *mi*, atque omnem expulit ipsa metum.  
 Mox ait; o rerum vates ignare, Myræi,  
 Quem tibi fles raptum, parce dolere vicem.  
 Ne divum lacrymis viola, non tristia Ditis  
 Regna nec obscuras incolit ille domos,  
 Ultricesque manus Furiarum, atque ora veretur,  
 Sed viget in superis umbra beata choris.  
 Illic nam sedes Vatum secreta piorum est;  
 Qui non Idalii furta leves pueri,  
 Incestosque arcus cecinere ac noxia tela,  
 Florentemque genas Phyllida, & aureolo  
 Nescio quæ miseris neftentem retia crine:  
 Sed Divum laudes factaque clara hominum,  
 Et quæcumque animis possent audita mederi,  
 Quos inter parili sorte Myræus agit.

Vidi

Vidi egomet supra nubes atque aurea vextum  
 Sidera, qua purum lactea sternit iter  
 Semita: cœlestem vidi cum se intulit urbem  
 Late auro & flavis undique chrysolithis  
 Fulgentem clare: quam largo interluit amni  
 Fons sacer & dulci dulcior ambrosia;  
 Unde haurit puros latices formosa Iuventa,  
 Misceat ut magnis pocula cœlicolis.  
 Hic inter pubemque piam vatesque beatos,  
 Prima illæc cœtus limina Parrhasii,  
 Jam melior iam se major multaque coruscat  
 Luce, dato felix & sedet in folio;  
 Oceani tractus unde omnes, & sola terræ  
 Cuncta oculorum uno dispicit intuitu,  
 Regnaque, Regnorumque vices, & inania latus  
 Stultorum ridet votaque spesque hominum,  
 Et studia & miserum vitæ mortalis amorem:  
 Et quos carorum in funere tot gemitus  
 Funditis; abreptis ima ab tellure Deorum  
 Ad sedes, ceu si triste quid acciderit.  
 Hæc tu igitur mea dicta memor sub pectore conde,  
 Vatibus atque aliis omnia dic, fatuo  
 Ne gemitu. & vanis singulibus indulgentes  
 Nequidquam sacros sollicitent cineres;  
 Neve fleant divum nihilo sapientius ac si  
 Quem gravis unda mal'i verberat Ocean'i,  
 Et Caurusque Notusque & navifragi Aquilones  
 Deprensum in cœcos abripiunt scopulos,  
 Ventorumque marisque oblitum defeat illum  
 Quem procul in tuto litoris hospitio  
 Functum dura videt pelagi ac promissa parantem  
 Neptuno & flavis munera Neieisin.

Hæc

Hæc ait, eque oculis dilapsa evanuit; at mi  
Nescio quæ tacite gaudia lœtitiae  
Intima mulcentis blando præcordia sensu  
Nubem animi ac tristes dispulerunt tenebras.

A D

### IGNATIUM VENINUM ELEGIA IV.

**Q**Ui Priscos tantum scriptores æquat Olympo,  
Tantum incana virum sæcula commemorat,  
Et contra quidquid fert nostra hæc temporis ætas  
Despuit, atque alga vilius esse putat,  
Quam tumido expulsam fluetu mare litore in udo  
Liquit vesano ludibrium Boreæ,  
Neglectamque solo volvi sinit usque viator,  
Pastorque ac simæ prætereunt pecudes;  
Non veteres amat ille, odit sed nqstraque nosque,  
Et fœda fœde livet ab invidia:  
Ipsum quin rerum naturam culpat iniquus,  
Fessa velut partu multiplici ac vario  
Illa suas penitus vires profuderit olim,  
Proque viris pusos nunc ferat exiguos  
Parva hominum simulacra, quibus doctrinaque desit  
Omnis, mensque omni iudicio careat;  
Nec magnum quidquam, quidquam nec promere salsum  
Lingua gravi & culto sit potis eloquio.  
Atqui nos etiam Pindo formosus Apollo  
Et Musæ placido lumine respiciunt  
Interdum, distantque aliquid, mirata nepotum  
Ætas quod merita laude sub astra ferat.

Æterna

Æterna & cedro curet servare voraci  
 Ereptum blattæ scilicet ac tineæ.  
 Nostra etiam hæc aliquem felici sæcula partu  
 Progignunt quem nec Roma vetus celebri  
 Magna foro quondam sprevisset verba tonantem,  
 Graia nec innuptæ Palladis urbs, Sophiae  
 Illa domus, plenis doctrinæ copia rivis  
 Unde omnes omnis didita per populos;  
 Eloquio posset qui te, Catilina, minaci  
 Præcipitem e patriis moenibus eiicere,  
 Fulmineo posset solus qui obstare Philippo,  
 Vimque animi fractis civibus indomitam  
 Barbaricas contra voce inflammare phalanges,  
 Pro patria ut vellent fortiter urbe mori.  
 Testis eris, Venine, meis tu, maxime, dictis,  
 Quem (pace hoc liceat dicere, amice, tua;  
 Nec tuus iste pudor Vatem deterreat, hæc ne  
 Condita sensa animi candidus evoluat)  
 Quem divi ut primum annuerunt mi audire loquentem  
 Continuo toto pectore deciderunt  
 Quotquot erant Graiae, Romanæ aut lumina linguae;  
 Sic mihi me totum protinus abripuit,  
 Abduxitque trahens, & se defixit in una  
 Ista tui vis una unica & eloquii.  
 Proh Superi! ille sibi miro ut me iunxit amore  
 Reddidit ac fanti morigerum & docilem!  
 Ut dia clarus iastabat fulgura lucis  
 Omnia dum pulchre dispiceret ratio!  
 Ut penita omnigeno miscens præcordia motu  
 Flebat mentem qualibet omnivolam  
 Fræna tenens, ductansque, trahensque & blandus & idem  
 Interdum sævus, trux, ferus, horribilis.

Quippe animum latus modo spe mulcebat, ovanti  
 Vultum hilarans ima & pectora lœtitia;  
 Cuncti metu interdum horrifico, mœstoque pavore  
 Miscebant: facie pallor in attonita.  
 Albus erat turbæ miranti, corda micabant,  
 Ibant perque genas, perque sinum lacrymæ.  
 Talis præsenti subnixus numine Paulus  
 Concussit Lystran voce Lycaoniam  
 Verba deo similis, vita cum scita beatæ  
 Panderet alta novis non sine prodigiis:  
 Cum tota interea fœse glomeraret ab urbe  
 Vis circumfusi lata fremens populi,  
 Clamaretque hominum cœtus invisere summo  
 Delapsum cœ'i vertice Atlantiaden  
 Dignum aris, templisque & sacri thuris honore;  
 Jamque adeo tauros duceret implicitos  
 Flore caput vulgo circum plaudente Sacerdos;  
 Ille autem scissis in medios tunicis  
 Irrueret cœlumque ac sydera testaretur  
 Se se mortali semine progenitum  
 Mortalem, ritusque Deum venisse nefandos  
 Ut longe ex Asia finibus exigeret,  
 Utque Deo tandem cœli terræque potenti  
 Cederet æta procul vana supersticio.  
 Hæc fantem attoniti spectabant; liba, coronæ,  
 Et cultri obliris deciderant manibus.  
 Cui similem, Venine, tua hæc te suspicit ætas,  
 Tollit & eximiis laudibus astra super:  
 Atque sibi gaudet, te saltæna quod unum est  
 Quem possit priscais æquiparare viris  
 Ne miseræ male contempnæ turba invida posthac  
 Magnorum obiectet sæcula Romulidum,

Nec

Nec modo Cecropias fatue dum laudat Athenas  
Fastu hæc immodico tempora nostra terat.

## AD AQUILONEM.

## ELEGIA V.

**A**T quæ te in puerum dementia, quis furor egit,  
Sæve Aquilo? o gelida frigidior glacie,  
Quam celsa in Rhodope, aut in nubifero apernino  
Durat hyems longis aspera frigoribus!  
Num tibi, Itat quoniam sic insanire, patentes  
Camporum tractus, num iuga, num syluae  
Ingentes desunt? qua cœrulea Amphitrite,  
Quaque pater fluctus explicat Oceanus  
Cuncta patent. illic dignam te nactus arenam  
Conare adversis obvius ire notis,  
Et fluctus propelle, altum & quæcumque per æquor  
Occursant, rapido turbine frange rates:  
Tum male iactatos allide ad litora nautas  
Ut lubet aut mediis obrue gurgitibus.  
Parce tamen puero: per luctuosos vagitus  
Obtestor, per suspiria, per lacrymas,  
Infans frigidulis frustra quas fundit ocellis;  
Iugis ut aero liquitur e lapide  
Roscidaque assidue muscoque adoperta virenti  
Saxa rigans levi labitur unda pede.  
Ah satis est cœca matris quod conditus alvo  
Pertulit obscuræ tœdia longa moræ  
Cognata satis est quod fastiditus ab urbe  
Asperituque procul, colloquioque hominum  
Desertas pecudum sedes atque aspera dumis  
Teskua colit, quæ nix desuper alta cadens

Consternit; manansque humor de pumice raro  
 Concrescit longam frigidus in glaciem.  
 Hoc, saltem hoc; inter tot dura atque aspera te te  
     Ah minus immitem sentiat ille sibi.  
 Seu mitem potius, placidumque; hoc, hoc age quamvis  
     Asper & immani præditus ingenio  
 Pone iram sævosque bonus dedisce furores:  
     Hoc fac seu fieri non pote sive pote.  
 Sed pote. Piræi portus vicinaque portu  
     Testis erit primarum urbs genitrix segetum.  
 Illic nativumque ferunt mollisse rigorem,  
     Atque tuas olim te posuisse minas,  
 Cum Pandioniaæ gliscens amor Orithyiaæ  
     In vestra ardentes impulit ossa faces.  
 Ut tibi tunc imas pervasit flamma medullas!  
     Ut mitem e sævo reddidit ac placidum!  
 Nam neque tam verni genitabilis aura Favoni  
     Leniter umbrosis ludit in arboribus,  
 Nec Zephyrus tam leni almam Titanida flatu  
     Antevolat, quam te tum dominæ in foribus  
 Vix strepere assuetum perhibent connubia frustra  
     Orantem blandis non sine lacrymulis.  
 Tene igitur flexit formosa puella, tonante  
     Editus hic durum sentiet usque puer?  
 Pulchrior hic multo, multo & mage dignus amari est.  
     Quæ geminis certant lumina syderibus  
 Aspice, laetolasque genas, & eburnea colla,  
     Pectoraque intactas vincere nata nives.  
 Quique nitor puris pellucens undique membris  
     Cœlesti ignotum non sinit esse genus.  
 Ut quamquam in nimbos lucis pater ætherius sol  
     Vultumque & currus abdidit igniferos,

Attamen

Attamen obscura frustra in caligine se se  
 Occultans densis involuit tenebris,  
 Namque comas piceo diamque obnubit amictu  
 Dum faciem, ipse suis proditur a radiis,  
 Qui se se offusis e nubibus erumpentes  
 Spectantum incurunt denique luminibus.  
 Parce ferox nescis tua quem dementia contra  
 Arma ferat, nescis quod facinus facias.  
 Auctorem lœdis rerum cœlique potentem  
 (Nec tremis admissi conscius?) e nihilo  
 Qui cœlum, terramque olim camposque liquestes  
 Undarum nutu condidit omnifero:  
 Astriferumque orbem stellis fulgentibus ornat  
 Astrorum & varias temperat usque vices.  
 Quem sæpe ignifero percurrentem aera curru  
 Terrentemque alto corda hominum tonitru,  
 Aligerum volitant subter mille agmina, mille  
 Post subeunt, totidemque antevolant acies,  
 Et Regis nutum observant & iussa capessunt,  
 Sive urbes fundo vertere sacrilegas  
 Seu pestem populis bellumve immittere iussit,  
 Miscere & subitis omnia funeribus.  
 Ille Austrum, Zephyrumque, ille & te condidit idem,  
 Pergis & auctorem lœdere, sæve, tuum?  
 Ille, velit, potis est damnatum carcere cœco  
 Te penitus rupes abdere in Æolias  
 Et potis est dura vel te vincire catena,  
 Vel procul arentes pellere in Æthiopas,  
 Nusquam ubi, queis aleris, queis gaudes, frigora, nusquam  
 Aut glaciem aut patrias iam tibi, dure, nives  
 Cernere erit, sed quos vicina lampade semper  
 Torret & assidue Phœbus hiulcat agros,

Regnat

Regnat ubi semper luditque repentibus auris  
 Illa tibi invisi scilicet aura noti.  
 Hæc puer & maiora potest, teque improbe quavis  
     Perdete vel quovis extruciare modo.  
 Et faciet, pergis quoniam sœvire, nec ullum  
     Heu facis irarum, stultitiaeque modum.  
 Nec te divinus durum puer, optima nec te  
     Virgo movet largis flentibus uda sinum,  
 Muta metu, trementi animi, externata fragore  
     Horrifico, tua quem flabra crient, puerum  
 Ah dulcem puerum tua ne mala flamina perdant  
     Usque timens totis anxia pectoribus.  
 Sed iam sive metu, dulci seu vietus amore,  
     Seu nostra motus constitit ille prece.  
 Non antrum horrisonis resonat plangoribus: en ut  
     Vix siccæ huc illuc pervolitant paleæ.  
 Vana loquor gravius tursum & crudelius urgens  
     Ah miserum, ah flentem conficit, & lacrymas  
 Illius & vanos questus atque irrita nostra  
     Discerpit campos dicta per arios.

## AD BENEDICTUM XIV.

CUM EX GRAVI MORBO CONVALUISSET.

## ELEGIA VI.

**S**ancte Senex ipso versantem in limine lethi  
     Cum vidi nuper te tua Roma, metu  
 Palluit, & subito pectus concussa dolore  
     Ad cælum palmas uividulasque genas  
 Tollens; o superum, dixit, Rex, o bona virgo  
     Quam toties gelidis visit in Exquiliis;

Cui

Cui vetus a templo senium detersit & ayro  
 Fulgenti & pario cuncta novans lapide!  
 O superi, quos ad meritos provexit honores  
 Scriptisque & cura pervigil assidua,  
 Cultori lethum vestro prohibete, nefandum  
 Hoc potius miseræ mi prohibete malum.  
 Ille petet cælum victor, lætusque capesset  
 Quam sibi iam meritis stravit ad astra viam;  
 Me duri miseram casus, me longa sequentur  
 Damna Patris chari flebile discidium  
 Florantem, & crebris singultibus incendentem  
 Omnia; nec memori longa dies animo,  
 Nec rerum ulla queat species obiecta novarum  
 Eximere hanc imo e peccore amaritiem,  
 Quin repetam laudum tot clara exempla suarum,  
 Illaque munificæ tot benefacta manus,  
 Et plenum Sophia pectus suadæque leporem  
 Ambrosium, & flumen divitis eloquii;  
 Quo docet, humanas mira dulcedine mentes  
 Quo capit, & captas victor agit propere  
 Pulchram ad virtutem; dignus cui vera monenti  
 Submittant animos extera regna suos,  
 Quem populi, Regesque colant, quem laudet, ametque  
 Certatim hæc ætas, dein alia atque alia,  
 Quem si dura mihi rapiat mors [ ah pater atrum  
 Vanescit ventos omen in arios]  
 Vsque vocem; lucemque meo noctemque dolori  
 Indulgens largis usque flem lacrymis.  
 Hæc tua, depositum ceu cum flet moesta parentem  
 Filia regalem Roma soluta comam  
 Flevit. Nunc eadem lætanti peccore gestit,  
 Nec cohabet tacito gaudia clausa sinu;

Festa sed ornatis indicit plurima templis,  
 Ingerit & sanctis thurea dona facis;  
 Atque bonis tanto grates pro munere Divis  
     Solvit, læta piis cantibus aura sonat.  
 Qualis cum nimbum capiti superimpudentem  
     Deprensus magno vecto in Oceano  
 Cernit: ventorum surgentia flamina pontum  
     Horrificant: olli corda pavor gelidus  
 Incessit: tremuere artus, exsanguia pallor  
     Occupat ora, undis naufragus in mediis  
 Turpes ne pascat fluitanti corpore phocas;  
     Idem si clari continuo Boreæ  
 Avida vis nubem solvit fluctumque tumentem  
     Stravit, iucundæ gaudia lætitiae  
 Concipit; abscedunt curæ, pallorque, pavorque  
     Mersa natant placido turpia monstra mari.

## AD N.N. CRIVELLUM

DE MARIA TERESIA HUNGARIÆ REGINA &amp;c.

## ELEGIA VII.

**S**I quidquam infectum volui indistumque fuisse,  
 Id volo de magnæ laudibus Austriados  
 Quod tibi sum nuper, dum pergis, amice, negantem  
     Hortari atque preces addere, pollicitus  
 Ah temere, ah frustra non quod sumpsisse laborem  
     Hunc nolim (quid mi dulcius esse queat  
 Quid magis optarim vates quam tollere ad astra  
     Hanc, Vatum cætus quæ fovet ingenuos,  
 Hanc, omnis docti quam cultrix turba Lycae  
     Doctrinæ spem unam præsidumque vocant?)

Sed

Sed quod (vera loqui scis hæc me Phœbe, scit alma  
     Calliope) solem qualis ad auricomum  
 Lumina qui attollit cupide spectator, & hæret  
     Admirans densis obstruitur radiis,  
 Caligatque oculos nec lucem dispicit almam,  
     Cuncta sed obscura condita nocte dolet:  
 Talis, conor ubi nostri defigere in illa  
     Obtutum ingenii, cœca velut nimio  
 Fulgore in magna mens mi stupet heroina;  
     Tot bona tot dotes perspicit eximias;  
 Quas ita sim felix nequeat memorare canendo  
     Moeonides Vatum maximus ille licet  
 Non tantum Æoliden & Achillea Laryssæum  
     Verum ipsos cantu dicere grandiloquo  
 Est etiam Divos ausus. Contendere nam quæ  
     Austriadi multo possit honore Dea?  
 Imperio magna est Juno, Cytherea decora est.  
     Ingenuas artes docta Minerva; deam  
 Dos sua quamque ornat; dotes complexa dearum  
     Illa trium magna est, docta, decora; pia  
 Præterea, hoc fôrti virtutis robore septum  
     Adde animum & duris casibus indomitum,  
 Consiliumque sagax, quo pacem ac bella gubernans  
     Fortunam arbitrio torquet agitque suo:  
 Non sibi sed populis quod regnat, commoda vitæ  
     Cuncta parans, ipsis nientibus illuviem  
 Fœdam illam abstergens, artes quæ fusa per omnes  
     Omnem per sophiam turpiter ingeniis  
 Doctorum infedit, cum Graius cumque Latinus  
     Externis cessit sordibus ille nitor.  
 Adde hoc progenitos heroas, germina dia,  
     Stat quibus Austriacum, stabit & usque, genus,

Stabunt ipsa etiam magnæ benefacta Parentis  
 Nec longo annorum viæ carent senio.  
 Hæc ingens, hæc me tot rerum copia terret,  
 Miranti hæc vocem surpuit atque animum.  
 Quare promissas noli iam poscere laudes  
 Ni vis forte aliquo laudis habere loco  
 Ipsum hoc quod dixi, Vatum audax vincere cuncta  
 Illius vinci laudibus ingenium.

A D

## FRANCISCUM MARIAM ZANOTTUM

## ELEGIA VIII.

**T**Une igitur Phœbi & Musarum fama Zanotte,  
 Et Tusco & Latio carmine sensa potens,  
 Aureæ sensa tuæ solus depromere mentis,  
 Sic nunquam ut rebus discrepet eloquium,  
 Et pulchra in pulchris niteat sapientia verbis,  
 (Auro gemma velut condita fulgidulo  
 Nativam intendit lucem & formosius ardet,  
 Ardentem cupidis nupta novella oculis  
 Miraturque tuens capitique imponere flavo,  
 Aut collo rarum gestit habere decus)  
 Tun' pateris, Tusco quæ sunt tibi condita versu,  
 Me versu hoc veterum dicere Romulidum  
 Conari, atque tuam prolem traducere veste  
 Exutam dives quam dederat genitor  
 Regali fulgentem ostro piëtamque figuris  
 Omne genus, Nymphis prodigium Arniasin?  
 Quin mi etiam (mirum) grates agis ut bene de te  
 Promerito, laudes laudibus accumulans

Large

( 131 )

Large atque effuse; quas cum, vir magne, legebam,  
Quamvis mulcebant gaudia blanda sinus,  
(Nam quis, quem landat, laudari nolit ab illo?)  
Attamen heu totis erubique genis,  
Agnovique nihil meritum me tale, tuum sed  
Posse capi quovis peccus ab officio;  
Teque itidem ut sophia praestas & carminis arte,  
Præstare antiquis moribus & faciliter  
Ingenio, quidquam nec rerum spernere posse  
Qualecumque tuo quod facimus studio.  
Quo me aetum vertisse istæ tua carmina, Musa  
Testis erit; lateri si tamen illa meo  
Adstitit, ac non me longe aversata refugit  
Conantem illepidis perdere versiculis  
Tam bona sensa: tibi adspirans quæ scilicet ipsa  
Diatarat Pindi vertice in aero  
Ingenuos propter fontes, genus unde leporum  
Omne fluit. Quos mi tangere si superi  
Dent fontes, frustra quæsitos tempore longo,  
Non parvam e libro divite particulam,  
Sed totum adgrediar versu vulgare Latino;  
Ut quæ Arnus seit nunc & Padus & Tiberis,  
Italiæ fines intra non digna latere,  
Isterque & Rhenus iam sciat & Tamesis.

A D

JOANNEM BAPTISTAM ROBERTUM S. J.

ELEGIA IX.

Hoc fuit a magno quod mi, Roberte, Zanotto  
Aureolum nuper venit epistolium,  
Quo grates agit ingentes de re hercle pusilla,  
Seque meo captum prodit ab officio,

R 2

Carmine

(131) (132) (133)

Carmine quod Tusco quæ luserat ipse, Latinis  
Verti ego per Iudum paucula versiculis.  
(1) Nempe virum ambierat vestræ suada ista Camœnæ  
Vafra subire animos carmine blandiloquo,  
Et mulcere imos sensus & fallere mentes,  
Quam vult rem pingens ut libet, atque humiles  
Attollens cœli super aurea sydera nugas.  
Jupiter! ut scite versibus illa meis  
Conciliat pretium! Charitas mihi pangere carmen  
Aggresso fingens nescio quas subito  
Adstare atque manu certatim fingere crinem,  
Et dare de verna mollia serta Rosa,  
Ora iocos circum interea volitare pudicos.  
Quas ego iuratus dicere non dubitem,  
Jam Charitasque iocosque omnes a me procul esse,  
Quam procul est muris Felsina Romuleis,  
Felsina quæ Charitas cunctas sibi vindicat uni,  
Quæ cunctis cunctos surpuit una iocos  
Atque tua, atque tui rara virtute Zanotti;  
Quem tu nempe tui carminis illecebrao  
Induxti pulchre in fraudem si vera putavit  
Istæc de nostro callidus ingenio,  
Quæ dixti me aquans Rogerio scilicet illi,  
Illi terrarumque orbis & astriferi  
Mensori egregio, niveis qui nempe quadrigis  
Me tardum ac segnem flammeus antevolat;  
Cui me qui confert, possit viburna cupressis  
Conferre aut colles montibus aeriis.  
Ipse virum novique & miror pectori toto,  
Atque mihi multis partibus antefero.  
Quamquam nec studiis Musarum scita Mathesis,  
Lineolas nec, queis omnia mirifice

Conficit

Conficit ac pandit naturae arcana latentis,  
Pieridum sacris cantibus antefero.

**AD AMPLISSIMUM PRÆSULEM**

**SUPPRESSO NOMINE**

**ELEGIA X.**

**Q**ualis ab aero præcelsi vertice montis  
Pastor sæpe orbem suspicit astriferum  
Admiransque oculos circumfert, nec tamen omnem  
Noscere vel numerum, vel potis est varias  
Astrorum formas, magno quæ dissipata mundo  
Certatim fulvo lumine cuncta micant,  
Cuncta simul præbent spectaculum dulce tuenti;  
Talis ego laudes eximias cupide  
Jamdudum cerno, Præsul, queis, inclute, fulges,  
Nec secus ac cœlum syderibus radians  
Aurea perpetuæ diffundis spicula lucis:  
Sed mi nescio quis mentem animi tacitus  
Invasit stupor attonito; nec dicere spes est  
Quotnam sint, quanam prædicta sint specie  
Singula quæ mi aciem magna & miranda lacerfunt.  
Igneus ingenii te vigor ille, animum  
Qui ciet ac vento citius volucrique sagitta  
Hic illac celerem fertque refertque, sinus  
Multiplices veri scrutantem atque abdita rerum  
Te pulchre insignit, fulgidus ille nitor  
Doctrinæ, ingenii quæ dux terrasque peragrat  
Et maria, & celi templâ supervenit,  
Omnia commonstrans dígito quæ noscere fas est.  
Adde huic doctrinæ flexanimam sobolem,

Quæ

Quæ lucem affundit rebus, quæ pectora nulcat,  
 Suada potens dulci dulcior ambrosia.  
 Quid vitæ rectrix Prudentia? qua sine recte  
 Nil fieri; non urbs non domus ulla queat  
 Stare diu adversæque ictus evadere fortis.  
 Quidnam illæ in numero quas numero eximias,  
 Ingentes, plenas virtutes æthere ab alto  
 Ingerit humanis mentibus alma Charis,  
 Terrenamque aufert labem, similesque deorum  
 Esse dat? innitens queis animus humilem  
 Naturam supra cœli petit impiger arces,  
 Jamque Deo cupide se magis atque magis  
 Mente avida totum iungit, verique bonique  
 Notitias prima combabit e scatebra.  
 Inde hominum visit cœtus, vitæque magister  
 Vera docet, sancit iusta: ducem populi  
 Hunc sibi certatim cupiunt adsciscere, cunctos  
 Qui regat imperio, consilioque iuvet.  
 O felix talem si qua est gens naœta, regendum  
 Seque dedit! quamvis Africus & Boreas,  
 Ventorum Æoliis & quidquid prodit ab antris  
 Sæpe ratini undoso iactet in Oceano  
 Ah pavidam! ah scopulo allidi, frangique timentem  
 Ille tamen forti pectore trans tumidos  
 Iactatam fluctus ducet, clavumque tenebit,  
 Dum sternat facilem lenior aura viam.  
 Felix quæ talem naœta est... iam naœta profari  
 Parce alia & vocem supreme Calliope,  
 Officio ne iam pecces, ne nomine presso  
 Quem laudas certis proditus indicis  
 Noscatur iam vir. Nam quamvis mitior agno est,  
 Aut agno si quid mitius esse potest,

Dicitur

Dicitur irasci torvus nec parcere voci  
 Si quis forte aliquam viderit, ac populo  
 Monstrarit laudum, celari quas cupit ipse  
 Nequicquam multo lumine conspicuas.

## CLEMENTI XIII. PONTIFICI O. M.

DE LUDOVICO FRATRIS FILIO S. MARCI  
 PROCURATORE FACTO.

## ELEGIA XI.

**E**T si te Petri suprema in sede locatum,  
 Unde hominum servas providus omne genus,  
 Consulis & sæculo cupide in sua damna ruenti,  
 Curarum assidue millia multa premunt,  
 Nec mora quin aliud ex alio semper tibi sanctum  
 Perfundat multa pectus amaritie;  
 Dum aut Orci e tenebris librorum tetra venena  
 Aut aliquid alicunde exoritur sceleris,  
 Gliscere nec fraudum cessat genus omne, tuoque  
 Moliri usque malam perniciem pecori:  
 Attamen hic certe tibi candidus, hic tibi certe  
 Gratus ab Eo prodiit amne dies;  
 Quæque bonas mulcent blande bona gaudia mentes  
 Attulit, atque omnes lætitias animi.  
 Ille tui Fratris claro dum sanguine cretus,  
 (Quem Roma optanti restituit patriæ  
 Nuper; neandum etiam nivea per nicta cadentes  
 Desit ora manu tergere lacrymulas;) Tantus  
 Praclarus Marci curator limine ab alto  
 Insignis Tyriæ prodit honore togæ.

aggio

Tantus ut in Veneto niteat, vigeatque senatu,  
 Quantus Romuleis hic nitet in patribus  
 Carolus; eximiis tibi quem virtutibus auctum  
 Purpureo in cætu semper adesse vides,  
 Inque sūnū tacito lātaris suaviloquenti  
 Ore ubi fida pio e pectore consilia  
 Incipit egregie cordatus promere: fāntem  
 Suspiciunt sacri prima virūm proceres.  
 Cui similem (nam cur non te de colle Quirini  
 Absentem hæc longe nostra Thalia vocet  
 Nota tibi, & partum ex merito gratetur honorem  
 Promens lātitiaē conscia dicti suæ?)  
 Cui similem te conspiciet, Lodoice, sedere  
 Inter præciuos curia vestra patres  
 Mignarumque usū rerum ingenioque vigentem  
 Aceri, vi Suidæ non sine flexanimi.  
 Ingredere o magnæ magnum iubar addite genti,  
 Et decus antiquis adde novum titulis.  
 Urbs tibi se pulchre viden' ut Neptunii compsit,  
 Et varia ornatas præbet ab arte vias?  
 Argentoque, auroque, & lucidula crystallo,  
 Et serum pictis omnia velleribus  
 Collucent late; late circumstrepit aura  
 Et plausu, & votis, lātifico & fremitu.  
 Quem procul excipiunt summa Tritones ab unda,  
 Excitæque udis Nereides domibus,  
 Et vastæ pelagi qua se extendere lacunæ  
 Rezonidum claro nomine cuncta sonant.  
 Rezonidum atque tuo præ cunctis, optime Clemens,  
 Adriaci nam te magna maris domina  
 Progenito gaudet, multoque est lāeta magis quam  
 Sola quod Adriaci est magna maris dominâ.

Quippe

Quippe illam ut mire tu, sic te diligit illa,  
 Et civem esse suum iactat assidue.  
 Et quod clara novi per te splendoris adepta est,  
 Omne cupid domui reddere grata tuae.  
 Sic eat, o, tecumque pie tua patria nunquam  
 Certare alternis desinat officiis:  
 Atque tuos ornet, totque inter tristia rerum  
 Et magni curas imperii anxiferas  
 Interdum tibi sollicito frontemque serenetas  
 Compleat & dulci pectora latitiae.

A D

## ABUNDIUM REZZONICUM CLEMENTIS XIII.

*Fratri filium Senatorem Urbis Romae declaratum.*

## ELEGIA XII.

**N**on ego mirari dites, nec mittere suevi  
 Blandiloquam ad Procerum limina Calliopen;  
 Nec si quid magnum vulgo pulchrumque videtur  
 Suspenso attonitus lumine suspicio;  
 Nec si quem plausuque favens, fremituque secundo  
 Certatim omnigenis turba virum celebrat  
 Laudibus & superis miscet diis, hunc ego laude  
 Idcirco dignum scilicet esse puto:  
 Dignum cui Vatum sudet chorus & caput almæ  
 Certent flore novo cingere Pegasides:  
 Sæpe etenim est magno se se ut vir iactet honore  
 Dives, & antiquis clarus imaginibus,  
 Et multâ stolidum percellat luce popellum,  
 (Externa quando hic ducitur a specie)

S

Quem

Quem si intro inspicias penitusque excusseris ipsum,  
 Sit foeno atque alga vilior æquorea.  
 Vna meas virtus sibi vindicat, una Camœnas:  
 Sive illa in tuta deliteat latebra  
 Sub lare privato vix ulli cognita, ceu cum  
     Gemmi sub alpina condita rupe latet;  
 Seu luce in media dat se se clara videndam,  
     Gemma velut longus quam labor e tenebris  
 Protractam pulchreque politam aut vertice flavo,  
     Aut niveo sponsæ collocat in digito:  
 Illa micat flammisque aut soli obversi nitore  
     Spestantum irritat lumina fulgidulo.  
 Cui similem nunc te nemo non gaudet, Abundi,  
     Publica produci ad munia, & eximio  
 Augeri, tua quo virtus clarescat, honore,  
     Nota magis posthac omnibus atque magis.  
 Quippe tuus, qui te dulci complexus amore  
     Diligit, inque ipsis fert oculis, Patruus,  
 Miratus moresque tuos atque acre iuventæ  
     Surgentis primo in limine iudicium,  
 Cultumque ingenuasque artes, studiumque iuvandi  
     Rem Latiam atque hominum, qua patet, omne genus,  
 Non tulit indecori privatum degere in umbra,  
     Et tibi te soli vivere; sed populis  
 Jura dare, atque alta Capitoli ex arce parare  
     Multa suis iussit commoda Romulidis,  
 Et primum dixit civem, priscique Senatus  
     Et sedem, & clarum nomen habere dedit.  
 Dii tibi Nestoreos dent annos, dii tibi, Clemens,  
     Aurea, quæ condis, sæcla videre diu,  
 Tam clarum cupidæ iuvenem quod præficiis urbi.  
     Hoc sibi collatum martia Roma decus

Agnoſcit,

Agnoscit, gaudetque; suos nec iam illa Camillos,  
 Nec meminit Marios, Scipiadas, Fabios,  
 Invictosque Catones, aut si quos magis hisce  
 Mirata est olim Curia Sancta Patres:  
 Curia concilio Regum illæc nobilis, unde  
 Jura sibi Reges sceptriferi & domitæ  
 Armorum horrifico gentes terrore petebant  
 Memnonio longe ab littore ad hesperium  
 Litus quotquot erant, & finibus Atlanteis  
 Meotim & montes usque ad hyperboreos.  
 Hanc Patrum speciem, hæc prisci decora alta senatus  
 Vrbs iam nec memorat Martia, nec meminit.  
 Te solo gaudet, sibi te præclare Senator  
 Concessum ingenti lætitia celebrat,  
 Et clarus iactat certatim ad sydera voces;  
 Aura tuo late nomine pulsa sonat.  
 Vidi ego [nil Vates non cernunt] vidi ego Romam,  
 Hasta & cristato vertice conspicuam  
 Rupe in Tarpeia, ridenti expromere vultu,  
 Testari & plausis lætitiam manibus,  
 Teque alti cupide Capitoli ad tecta morantem  
 Late diffuso sæpe vocare sinu.  
 Cui flavus pulche de flumine responsabat  
 Mite caput serto vinclitus arundineo  
 Tigris, eum circa Nymphæ chores ducebant  
 Pulchraque Nese, pulchraque Calliroe,  
 Xantoque, Drymoque, & Beris candida, & omnes  
 Vndis excitæ Naiades thalamis,  
 Quas inter medius de te narrabat, Abundi,  
 Plurima & egregias corporis atque animi  
 Egregias, Divum & concessas munere paucis,  
 Tollebat dotes laudibus astra super,

Ut tibi cunctæ omni complerint pectus honesto;  
 Et sua quæque tuo largiter intulerit  
 Dona sinu virtus, ut sedem tempus in omne  
 Formarit sibi sub pectori quæque tuo.  
 Illa sagax vitæ dux omnis, quæ videt acri  
 Multa oculo, finesque implicitasque vias,  
 Et varios rerum flexus, tempusque, locumque,  
 Queis male negleñtis nil potest confieri.  
 Quæ geminas tenet æquato examine lances,  
 Quæ mentem casus firmat ad horrificos,  
 Fortunæque ictus adamantina ridet iniquæ,  
 Quæ motus animi temperat indomitos  
 Fræna tenens ne quo se fœde insana libido  
 Proruat; illa malis si male deliciis  
 Ambiat incensum fallax Amathusia pectus,  
 Si quando Idalius venerit ille puer,  
 Ille vafer iuvenum pestis, volucresque sagittas  
 Promat & infestas expeditat fœculas.  
 Hæc pater auditus flava Tiberinus ab unda  
 Inter mirantes pandere Naiadas.  
 Teque suum dixit, tanto & gavisus alumno est,  
 Seque mari tumidus prætulit Adriaco.  
 Præterea addebat quiddam de stirpe futura,  
 Utque potens Latio Rezzonidum incipiet  
 Diffundi genus, late increbescere septem  
 Collibus æternæ germina dia domus,  
 Atque alii, atque alii clara de stirpe Nephotes  
 Usque novam pubem Romuleam serie  
 Fulcire, ac lucem Romanis addere fastis;  
 Vnde & purpureos gaudeat usque patres  
 Roma legi interdumque aliquem se attollere Petri  
 Ad sedem summi culmen ad imperii,

Virtutesque almas magni & benefacta referre  
 Clementis. Tibrim talia commemini  
 Dicere: quæ Proteo didicit monstrante vel ipse  
 Fatorum arcanis legerat in tabulis.  
 Illum Pastores, illum audivere canentem  
 Tauri non herbæ, non memores laticis,  
 Pallentesque alni e ripa ceu dicta probarent  
 Vilæ sunt motis frondibus annuere.

## D E

ACERBISSIMO CHRISTI CRUCIATU,  
 AC B. VIRGINIS MATRIS MOERORE.

## ELEGIA XIII.

EN iterum tristes ad fletus, flos ubi Vatum  
 Annua divino sacra refert tumulo,  
 Adsum, magna vocant quo me tua iussa, Neralce;  
 Etsi nec versus pandere suavidicos,  
 Mæsta nec Aonia præcingere tempora Iáuro,  
 Fila nec auratæ pellere nunc citharæ  
 Optarim: dulci sed me subducere cœtu  
 A comitum, & solas quolibet in latebras  
 Abdere, vel parvi subter fastigia testi,  
 Vel densum obscuris in nemus ilicibus,  
 Aerias aut in rupes, Solimeia montis  
 Quæ iuga, de Domini cæde cruenta mei,  
 Mi referant. Illic laxarem fræna dolori;  
 Atque hoc pro cantu fundere luætificos  
 Praestaret gemitus, mista & suspiria crebro  
 Singultu; abiectumque, ægrum animi, attonitum  
 Nil fari,

Nil fari, sed perpetuo tabescere fletu.  
 Qualis sollicito qui lapis in Sipylo  
 Usque madet, lacrymas nec cessat fundere falsas;  
 Quem subter casu stillicidi assiduo  
 Fons sonat, & rauco trepidans per scrupea saxa  
 Murmure nescio quam conqueritur Niobem,  
 Magno quam perhibent vietam obriguisse dolore  
 Deflentem prolis fata cruenta suæ.  
 Illa suam flevit prolem: tabescere largis  
     Me iuvat in Domini cæde mei lacrymis.  
 Mi quisquam flendi tam caro in funere leges  
     Dicat? me lentum hæc tam fera suppicia  
     Cernere tam cari capitis, misere nec lamenta  
     Et gemitus totis rumpere pectoribus  
 Mœrentemque, uđumque genas, luētique furentem?  
     Quid mater, qua nil dulcius esse potest,  
 Illa Dei, atque homiuum mater formosa piorum;  
     In cassum quæ flet, quæ gemit anxifera  
     Curarum sub mole? Tuus, Virgo aurea, non me;  
     Virgo tuus non me vulneret iste dolor,  
     Possit qui chalybis duram vim frangere? non tu  
     Pressi tot ærumnis, non tua progenies  
     Hunc animum penitus luētu demergat amaro,  
     Exprimat his iuges ex oculis lacrymas?  
 Atqui bruta etiam tellus convulsa fragore  
     Ingenti scisso mœsta sinu ingemuit,  
     Fluminaque ingemuere, & montes, & nemora hirta,  
     Litoraque, scopulique, & mare monstriferum.  
 Ipse etiam cælo flevit sol aureus alto,  
     Fulgentem & clare cæsariem capit  
     Detraxit, lucisque almæ volitantia longe  
     Tela dolens atram condidit in nebulam.

Hæc

Hæc olim: nunc multa itidem post sæcla novamus  
 Ploratum ingentis mœstitez comitem.  
 Nam tamenetsi heros magnam semel exantlavit  
 Ærumnam, illaque tot præteriere mala;  
 Nec quidquam superest nisi laus, & præmia laudis:  
     Etsi iam templis viator in ætheriis,  
 Jam viator, domita iam clarus morte, laborum  
     Nec memor æterna vescitur ambrosia;  
 Et mater dulci gnato comes inter ovantum  
     Pulcra sedet lætas cœlicolum choreas;  
 Mens tamen hæc mœstis ignorat cuncta diebus,  
     Tempore in hoc lætum nil meminisse potest.  
 Illa modo series magnorum immensa dolorum,  
     Quosque tulit gnatus, quosque tulit genitrix,  
 Occursat, mœstaque meum caligine pectus  
     Opplet: cuncta ipsos nunc fieri ante oculos,  
 Cuncta meo penitus mi fixa in corde videntur;  
     Usqueadeo mœstis fervet imaginibus,  
 Horretque, ægredicunque animus, nec cernere Patris  
     Summi probroso in robore progeniem  
 Suffixam foede; miseram nec cernere matrem  
     Sustinet infandis luctibus implicitam,  
 Pallentemque ægramque, informi proxima truncu  
     Dum stat, dum gnato proxima stat gelida  
 Rupe super, gemitusque audit, cernitque cruentem,  
     Omnibus e venis qui fluit, & niveos  
 Irrigat exundans artus, rivoque tepente  
     Subter humum, duros irrigat & lapides.  
 Nate Deo, nostri nimium memor, immemor eheu  
     Ipse tui, si quid, si quid adhuc superest  
 Sanguinis, ah cohibe: iam large fluxit: & una  
     Humanum potuit gutta piare genus.

Nostra salus nimio constat tibi: pone labori,  
 Pone modum & vitæ, lux mea, parce tuæ.  
 Ista, velis, nil te iam crux, clavique trabales  
 Lædent, nil densis texta corona rubis.  
 Vanescet tumor hic, vanescent vulnera, nasquam  
 Liver erit, tua qui candida membra notat:  
 Membra, olim puro diæ quæ sanguine matris.  
 Ipse suis formans fixit Amor manibus:  
 Addidit & rarum formæ decus: hei mili! quonam  
 Forma, tuo quonam fugit ab ore decor?  
 Purpureæ quonam fugit flos ille iuventæ?  
 Quo lepor, & dulci dulcia melle magis  
 Verba, humeris densum quæ vulgus nuper avebat  
 Excipere? Ut patrias millia multa domos  
 Linquebant! montesque & desertas convallis  
 Complebant cœtu, littoraque & scopulos,  
 Mirantes: dulcesque epulas, & munera somni  
 Obliti! formæ tantus in ore lepos,  
 Tanta inerat vultuque, & blandis gratia verbis.  
 Nunc tacitum, exangui corpore, semianimem,  
 Tristi perfusum tabo plagisque tumentem  
 (Credo equidem) vix te noscere quæ genuit  
 Ipsa queat: matrum quot sunt lætissima quondam,  
 Nunc mœsta & largis uda sinum lacrymis.  
 Væ misera! ut tristes exercent peccata curæ,  
 Infixusque alte venit ad ossa dolor!  
 Non secus ac duro si quis præcordia ferro  
 Transadigens, ipsam sede animæ, rigido  
 Cor petat ense, secerque in partes, & ferus addat  
 Usque nova inflicitis vulnera vulneribus.  
 Scilicet hoc, prisco patrum de more puella  
 Cum dulcem in templo sisteret unigenam,

Magnus terriloquo portendit carmine vates;  
 Hos matri luctus dixit, hic ille dolor,  
 Hic gladius, mœsta attonitus quem mente canebat,  
 Ora pio fletu cana tepefaciens.  
 Vera senex nimium tua sunt oracula; parenti  
 Traicit en molles cura dolorque sinus.  
 Illa quidem durum constanti mente laborem  
 Perfert, nec flavam solvere cæsariem  
 Conspeta est, tenuesve humeris abscondere amictus;  
 Non fesso ad terram corpore semianimis  
 Concidit: extremo natorum in funere matres  
 Qualem mœstiae promere signa solent.  
 Sed pallet, sed turgidulos non deiicit ægra  
 Usquam oculos dulci a pignore, sed gemitus  
 Interdum incepitat, materni parva doloris  
 Indicia, at luctus maxima pars penitus  
 Obscuris animi penetralibus abdita gliscit,  
 Curarumque intus millia multa latent.  
 Quas inter medius residet, gnatique cruentam  
 Effigiem in lævo sculpit amor latere;  
 Immanesque adigit procusa cuspide clavos,  
 Texit & hirsutis spinea ferta rubis.  
 Fingit purpureum qui defluit inde cruem,  
 Pingit quæque suis vulnera sœva locis,  
 Liventesque notas flagrorum. Exemplar imago  
 Jam retulit, iam se filius atque suas  
 Materno cernit pœnas in corde; nitenti  
 Ceu totum qui se conspicit in speculo,  
 Atque suam agnoscit faciem, formamque, habitumque,  
 Et quæ sit species, qui sit in ore color.  
 Quæ prius in pura Crystallo cuncta figurant,  
 Dein reduces oculis insinuant radii.

Acer Amor, si fas est, operi iam parce cruento.  
 Heu gnatum, heu matrem perdis; imago duos  
 Sauciatus una. Procul, procul istinc ducite divam  
 (Humani sensus si quid inest animo)  
 Quisquis ades. Fidæ comites, abducite divam  
 Vos longe. Matrem filius heu miseram  
 Vulnerat adspectu; maternum saucia pectus  
 Adspectu natum vulnerat illa suo.  
 Ah nobis, ah quid fiet si tempore in uno  
 Utraque deficiat vita? quod heu supereft  
 Solamen fessis? hoc rerum in turbine cuinam  
 Linquimur? Hæc potui dicere, docta cohors.  
 Quod restat, si quis tam firmum pectori vates  
 Robur habet, mœstis versibus expediat.  
 Me iuvat hic tacitum largo tabescere fletu.  
 Odit solitus verba diserta dolor.

## CRISAURI PHILOMUSI

IN LAUDEM  
SEQUENTIS CARMINIS

*De Bono Ærumnarum*

## AD LECTOREM

ENDECASYLLABUM.

**Q**Uæris Optima, profutura quæris  
 Vitæ dogmata curiose Lector?  
 Evolve hos Elegos mei Cunichi,  
 Queis nil sanctius, elegantiusque.  
 Hinc facessite blanduli Catulli  
 Hinc discedite comptuli Propertii,  
 Et si qui numeros crient prophanos

Concin-

Concinnutque modos parum severos.

At vos Cunichia venite Musæ,  
Plenæ mellis & Elegantiarum,  
Pœnitudinis atque lacrymarum,  
Sacra carmina cœdidi Cunichi  
Vos exoscular o piæ Camœnæ  
Et totis relegam lubens diebus.

*De Eodem Epigramma.*

CHristiadum veterum voces, & verba Piorum  
Et Christi placitis dogmata mixta tuis.  
Quo virtus radier pretio, qua luce coruscans  
Illibata malis fulgeat in mediis  
Cunichi præclare doces hoc carmine, & inter  
Christicolum sanctos scriberis ipse Patres.  
Non soium tua charta docet; tu perfidis author  
Quidquid inoffensa religione jubes;  
Vt si hominum generi queat haud Ærumna placere,  
Possit ab ingenio pieta placere tuo.

*Ad Eundem.*

Quantum Ærumna hominum generi siet utilis ægro  
Tam bene facundo dum pius ore refers,  
Ingenium laudant omnes, mirantur acumen,  
Fœcundique stupent divitias animi,  
Verbaque quæ dici Christo præeunte videntur,  
Spiritus aut poterat quæ docuisse facer  
Materies o ingenio dignissima tanto!  
O dignum tantâ materie ingenium!

## AD SODALES SUOS

DE BONO ÆRUMNARUM, HABITA IPSO  
EPIPHANIORUM DIE.

## CARMEN ELEGIACUM XIV.

Nunc me nec cœlo monstratum cernere sidus  
 Sancta nec Eos ducere ad antra Duces,  
 Nec quæ hodie, Socii, patrum de more novastis  
 Ad Domini cunas dicere vota iuvat,  
 Merentemque vagumque animi nec verba diserta  
 Jam struere, & blandæ fila movere lyræ  
 Optantem, solo tacitum sed flere cubili,  
 Et tristi mœstas imbre rigare genas  
 Tempore in hoc duro, nostræ quum tot mala gentis  
 Sollicitum curis omnibus excruciant,  
 Pervelluntque acri morsu, retrahuntque parantem  
 Has me ad Musarum vertere delicias.  
 Heu mala tot nostræ gentis quam concutit ater  
 Turbo; ut quæ magno cymbula in Oceano  
 Jaetatur, nunc alte unda suspensa tumenti,  
 Nunc undas inter clausa: nec interea  
 Aoliæ cessant circum stridere procellæ  
 Infestusque vagis pupibus Oarion.  
 Et tamen est mœstis quædam plorare voluptas  
 Sæpe gravis blando carmine cura solet  
 Mulceri, ut leni veluti perfusa sopore  
 Pectora ne tristi spargat amaritie.  
 Sæpe etiam toto penitus de corde fugatus  
 Omnis in aerios mœror abit Zephyros.  
 Testis Iessides extorrem quem nemora ipsa  
 Flesse reor, quum fese abderet in tenebras

Horrentum

Horrentum nigras antrorum, si qua latebra  
     Mortis ab indignæ faucibus eriperet,  
 Quæ se inopi & profugo torvam super ostendebat  
     Vsque virum dura terrificans facie.  
 Ille tamen blando fallebat carmine curam,  
     Et sæpe Engaddi vertice in aero  
 Odollæ aut celsa residens in rupe sub auras  
     Ja&tstabat mœsto e pectore suavidicu[m]  
 Carmen: cui valles & flumina responsabant,  
     Reddebat missos & iuga pulsa sonos.  
 Interea mœror longe secesserat, alis  
     Ludebant circum gaudia purpureis.  
 Salve ingens Jessida, idem Rex, carminis idem  
     Princeps & sacræ grande decus Citharæ.  
 Tu dux: ire iuvat tua per vestigia: mœror  
     Hinc procul immanes cedat in Odrysios,  
 Aut quæcumque usquam gens est mage læta secundæ  
     Ebria cui sortis corda favore tument.  
 Oblitæ cœli ac superum fœdeque ruentis  
     In scelus errorumque implicitæ laqueis  
 Hinc metus, hinc absit nigræ formidinis horror,  
     Pallidus informi nec sit in ore color.  
 Spes adsit firmetque animos dum certa propino  
     Pharmaca, queis nostro fit medicina malo:  
 Dum testor quæ me ratio, quæ lucidus ille  
     Thesaurus veri pagina sancta docet.  
 Ferte viri molem quanta est ea cunque laboris.  
     Est gravis at nulli noxius iste labor,  
 Est gravis at multis pariet bona multa paritque  
     Virtutem adversi quandoquidem exacquent  
 Casus, eos dura ut ferrum; partem licet inde  
     Abradat scabri concita vis lapidis.

Virtuti

— Virtuti aduersi nil possunt demere casus;  
 Externæ sed si forte aliquid maculæ  
 Adspersum est, si quid scēdum se immiscerit intro,  
 Secernunt purgantque omnia. Qualis aquæ  
 Frigidus ille humor, quem lucidulæ crystallo  
 Assimilem rupes ardua progenuit,  
 Cessantem paullum si forte in gramine molli  
 Vel pastor baculo vel pede turbat ovis,  
 Decolor & lapsu tacito, dein aspera præceps  
 Inter raucisono murmure saxa fugit,  
 Scruposos per & amfractus & scabra viarum  
 Multicavo angustum in pumice transit iter.  
 Interea cœni quidquid fuit intus id omne  
 Exuit atque lacu marmoreo excipitur  
 Distrahiturque avide, plenæ ad convivia mensæ  
 Splendeat, ut puris lucidus in cyathis.  
 Illa etiam fulvi dives natura metalli  
 Deponit sordes ignibus in mediis,  
 Quidquid & obscenæ, terræ intra viscera fæcis  
 Hæserat id rapidis flamma voluminibus  
 Flamma vorax torquet, penitus flamma eximit, atque  
 Exemptum in nubes dissipat aerias.  
 Illa tamen quemnam flavescens præbeat usum  
 Massa? foret certe nil nisi pondus iners;  
 Nec multum ferro aut lapidi præstaret honore,  
 Quamvis pura, expers & penitus maculæ:  
 Ni flamma ex acri eductam, ardenteque camino  
 Artificum durus totqueat ille labor,  
 Extendatque trahens productam in mollia fila,  
 Gallica queis tenui fæmina pingit acu  
 Purpureas regum vestes; incude gementem  
 Vel super & multo verbere perdomitam

Diducat

Diducat lannam in tenuem, lenique ciendas  
 Languentis Zephyri flamine bracteolas.  
 Queis altum possit pulchre fulgere lacunar  
 Tela vel artifici pieta nitere manu.  
 Quid? niveum marmor non ferro cædere acuto  
 Instat Dedalea clarus ab arte faber,  
 Ille nihil parcens? validis late sonat aura  
 Etibus, inque orbem fragmina dissiliunt;  
 Donec ab informi saxo vel matris imago  
 Iesseæ, iuvenis forma vel aligeri  
 Exit, spectaculum populis, arisque locanda?  
 Quid tellus? multis saucia vulneribus  
 Ni rastrumque ferat patiens & vomeris unci  
 Dente, hirsuta rubis horreat usque, sinu  
 Nec pingues pleno spicas, nec dulcia poma,  
 Nec fœtus possit fundere vitigenos,  
 Nec dici omniparens lucisque efferre sub auras,  
 Tam varia hæc nostris usibus apta bona.  
 Hem, quod aquæ fulvumque aurum quod marmor, & alma  
 Tellus æruminis scilicet, hoc homines  
 Debemus; quæ nos agitant versantque premuntque,  
 Atque modis torquent omnibus, erudiunt  
 Sed tamen, & sordes abstergunt & bona puro in  
 Pestore virtutum germina progernerant.  
 Germina sanctorum virtutum, queis nihil usquam  
 Est homini quod sit pulchrius & melius.  
 Nam quis ubi incubuit nigræ vis dura procellæ  
 Non toto vanos expuit ex animo  
 Fastus, & stultum deponit corde tumorem?  
 Ergo illa in penitis continuo exoritur  
 Sensibus, illa sui contemptrix diva, locari  
 Quæ vult extremo parva humilisque loco,

Sed

Sed parvamque humilemque alti Rex magnus Olympi  
 In sublime manu provehit usque sua.  
 Hanc sequitur vili se se patientia panno  
 Involvens, duris casibus indomita,  
 Indomita atque invicta animi & mala cuncta ferendo  
 Vincens, ut saevis obvia turbinibus  
 Rupes quam circum ponti se cœrula frangunt.  
 Adde huc spem, mergi nescia, quæ melius  
 Confidit lapsis rebus fore, vimque Tonantis  
 Et promissi memor cogitat usque, preces  
 Adde etiam castas cœli ad convexa volantes,  
 Et suspirantum pectoribus gemitus  
 Proruptos imis, & largo lumina fletu  
 Uda vocantum altis vocibus auxilium.  
 Auxilium, summi auxilium Patris implorantum,  
 Si quam tam duro in tempore mittat opem.  
 Atque aliquis iam terga cruento cœdere flagro  
 Pectoraque infesta tundere aperta manu  
 Incipit, aut lateri procusa cuspide ferrum  
 Aut cilicum setis horrida texta adhibet;  
 Constringitque arctans. Jam plenæ sercula mensæ  
 Odit, nec ponit dulcia liba cupit,  
 Non volucrem aut longe quæstos per mare pisces  
 Ipsa sed obscuræ frusta iuvant Cereris  
 Vilja, pubentesque herbæ, vescumque legumen  
 Sobriaque Albano dulcior unda mero est.  
 Sunt, longa assuetis requie, mollique cubili,  
 Quies ærumna omnem depulit ex animo  
 Torporem; & docuit noctes vigilare serenas,  
 Aut fessum in gelida sternere corpus humo.  
 Sunt quos, lœtitia sese profundere inani  
 Suetos & nugas corde agitare leves,

Mentibus omnivagos oculis fœde omnituentes,  
 Ærumna haud longo tempore mirifice  
 Composuit rigidæ ad normam virtutis, & alto  
     Mentem animi cœlo, lumina fixit humo,  
 Mœroremque pium inspirans & vana coërcens  
     Gaudia dementi proxima stultitiae.  
 Candida quid sancti servatrix diva pudoris?  
     Ærumnae multum debet & ipsa; gravi  
 Pondere curarum nec pressis blanda voluptas  
     Obscœnis mentem pulsat imaginibus;  
 Incassumque faces agitat fœdus puer ille  
     Ille comes risus nempe levisque ioci.  
 Quid bona paupertas, fortunæ dona faventis  
     Quam certant miseram sedibus e propriis  
 Exturbare astu paullatim, & pellere matrem  
     Matrem heu gnatorum a limine? nonne viget,  
 Nonne suas servat multo iam tutior ædes  
     Vnde abiit rerum copia pulsa procul?  
 Copia, paupertas multo quam valdius unam,  
     Quam duramque famem & frigora sœva timet.  
 Quicum velle negat sub eodem vivere tecto  
     Et iungi diti nempe repugnat inops.  
 Illa quid intentis nutum quæ servat ocellis  
     Rectorum & dictis omnibus obsequitur?  
 Illa Deo virtus vel blandi thuris honore  
     Vel pecudum fuso sanguine grata magis?  
 Pulchrius adversis in rebus clara resulget  
     Substringitque aurem strenua ut imperium  
 Audiat & quod opus non pigra mente facessat  
     Nec durum quidquid difficile esse putat;  
 Nec vanas singit causas, nec segnis in horam  
     Differt, depreensi fluctibus ut tumidis

Discurrunt iussi sua quisque ad munia nautæ:  
 Hic remis torquet cærula, deonerat  
 Sentinam hic fluctu, hic per veliferas antennæ  
 Aerium prono pectori scandit iter.  
 Jussæ nec expendunt sed, quæ vox una magistri  
 Misit, festinos ipsa pericla ferunt.  
 Ante sed, o socii, possim quam dicere quotnam  
 Ærumna e pleno germina dia sinu  
 Omnipotens fundat virtutis, Phœbus Olympi  
 Qui medium curru celsus in ignifero  
 Pulsat, ad occiduum pronus descenderit undam  
 Cæruleo & flavum merserit amne caput:  
 Nec linguae centum, nil non comprehendere averti,  
 Oraque centum & vox, ferrea sufficiat.  
 Hos ego mi ærumnae fructus, hæc tot bona malim,  
 Has tam multiplices dvitias animi;  
 Malim certe, auri quam si quidquid fuit usquam  
 Fortuna in nostram congerat ipsa domum;  
 Nostraque ab occasu si late solis ad ortum  
 Ingens in niveis fama triumphet equis.  
 Quo mihi opes inopes, vanæ ludibria sortis,  
 Quæ tenuis venti flamine cassi volant?  
 Quæs nec inest solidum quidquam & pernicibus auris  
 Ocyus exigua præteriere die,  
 Quæ minat lethi vixtrix æternaque nigra  
 Virtus Ærumnae candida progenies.  
 Attamen infelix hominum gens, quos super, eheu!  
 Incubat obscuris horrida nox tenebris,  
 Quantas Cimmeriis perhibent horrere sub antris:  
 Quod fatui rem ipsam hanc cernimus, at vacuas  
 Vimbrarum formas vanæ & simulacra sequentes  
 Nescio qua fæde ludimur a specie;

Ærumnae si quid forte incidit (aut pater ille,  
     Ille Pater, rerum, quo sine nil geritur;  
 Et nec ovis prato in florenti, nec cadit unus  
     Passer dimidio veneat aße licet,  
 Ærumnam ciet omnipotens de vertice Olympi,  
     Atque iubet nostræ tecta subire domus,  
 Porrigere & tristi implicitis bona pharmaca morbo  
     Pharmaca quæ patria miscuit ipse manu)  
 Contrahimusque animum, visuque horrescimus ipso,  
     Pallor & in mœsto plurimus ore sedet;  
 Nec molles gemitus, nec languiduli singultus,  
     Nec tristes cessant currere lacrymulæ.  
 Ut puerorum ætas, quæ vult sibi dulcia tantum,  
     Nigrantem absinthi vedit ubi laticem  
 Präberi, avertitque oculos, manibusque repugnat,  
     Et sese matris reiicit in gremium  
 Singultans, morbum nec vult deponere, solam  
     Sed longe a labris pellere amaritiem.  
 Huic similem quisquam se vir velit esse puello,  
     Et calicem aetherius quem dedit ille pater  
 Respuat, avertat vel labrum? non ego certe,  
     Non ego, sed forti pectori quidquid erit!  
 (Sit licet his multo maius graviusque) ferendum  
     Quidquid erit forti pectori perpetiar:  
 Nec tibi, summe Pater, spatium legemve medendi  
     Conabor stultus dicere & insipiens;  
 Ignarus quid mi prosit; tu profore quidquid  
     Nostri fac genitor, quæ facis ipse placent  
 Omnia, nec pœnæ, Iustus, opprobria terrent  
     Ulla, placent patria vulnera facta manu.  
 Vre, seca quavis nec ferro parce nec igni  
     Ut lubet arbitrio sancte medere tuo.

Ærumnamque auge si vis, modo numine mentem  
 Firma, ne nimio vieta labore cadat.  
 Hic ego nil melius video quod poscere possim;  
 Certatim hæc vobis poscite vos Socii  
 Æquas det menti vires, aptetque fetendo  
 Dorsum oneri, inde malis urgeat atque grave  
 Aggeret impositi pondus duplicitque laboris  
 Ærumna ut morbi si quid inest perimat;  
 Hærentemque animo scabiem, neglectaque sanet  
 Ulceræ, virtutes gignat ut innumeræ.  
 Quarum se vi animus tandem tela omnia contra  
 Obfirmat mire; surgere quin humilem  
 Paullatim supra terram & terrestria suevit,  
 Attolique levis iam magis atque magis  
 Attolli cælo vacuum per inane columba  
 Utque volans pennâ præpete ad aeræ  
 Secretam petræ latebram arcanumque foramen,  
 Pulchrum illud domini vulnus hians latere  
 In lævo; dulcem latebram cunctosque paratum  
 Perfugium ad casus: quo subit & penitus  
 Abscondit sese cara in præcordia tutus,  
 Jam tutus; terramque & mare navigerum  
 Despicit, incertasque vices, & inania ridet  
 Vota hominum & curas & studia & seriem  
 Hanc vitæ instabilis, sursum conversa deorsum  
 Quæ se perpetuo turbine circumagit,  
 Non cœcæ ad nutum Fortunæ, at vertier ille  
 Jussit ut invicto numine celipotens.  
 Cui se iam tota iunxit cum mente, nec optat  
 Rerum quidquam animus, nec timet, incipiens  
 Non tam ferre suos, quam non sentire labores.  
 Jamque adeo dulci dulcior ambrosiâ



Fit dolor, & cupide mens optat quidquid acerbum est,  
 Jam nec acerbum, id enim nectare spargit Amor.  
 O fortunati, quos hic habet ardor, & ipsæ  
 Adversæ iam res, iam dolor ipse iuvat.  
 Talis fatidicus Daniel horrenda leonum  
     Ora atque immanes peccore magnanimo  
 Speetabat rictus quim flammis torva micarent  
     Lumina & arrectas colla iubas quaterent:  
 Nec timuit nec missa viro vox ulla querelæ,  
     Forsitan & doluit non licuisse mori,  
 Discerpique avide, dulcemque impendere vitam  
     Sponte Deo; iuvenem qui bonus iniiceret  
 Ut frænum & rabida obstrueret citus ora ferarum  
     Miserat e cœli sedibus aligerum.  
 Talis & illa trium virtus memoranda virorum  
     Quos verita est gliscens lædere flamma, Deo  
 (Credo equidem) optantes exuri, victima ut aram  
     Vista super tepidum vertitur in cinerem.  
 Certe nec flammam fortes timuere, Deoque  
     Læti cantabant ignibus in mediis.  
 Quid te Paule loquar? quid te forrissime rerum  
     Laurenti? vel te grandine sub lapidum  
 Horribona fractumque artus, multoque fluentem  
     Sanguine, dux pubis laurigeræ, Solima  
 Quem primum videre ipso pia pulchre  
     Testantem letho, quem manus inde virum  
 Innumeræ ad palmam lætanti mente sequuta est:  
     Tot matres molli corpore, tot pueri,  
 Insuetæque laborum in prima ætate puellæ?  
     Quidnam alii, ut tortor defuit? ipsi alactes  
 Quippe sua omnimodis torquebant corpora, & ultiro  
     Ibant Ærumnam quærere per nemora,

Per sylvas,

Per sylvas, montesque altos atque invia lustra.  
 Et pars exigua fronde operire casam,  
 Pars orno, exesave domum sibi figere quercu;  
 Pars sese in rupes condere; pars pluvias,  
 Hibernumque gelu nudo tolerare sub axe,  
 Atque ura aestivi sidere latea canis.  
 Nec vestis ratio, nec mensa: tegmina palmae  
 Praebabant, lautas amnis & herba dipes;  
 Nec famæ ratio: nesciri dulce, nec ullo  
 Esse loco: & si quis læserat aut taciti  
 Perferre, aut meritos sese peiora fateri  
 Optantes temni sub pedibusque teri.  
 Felices animæ! nimium at miser & male fortis.  
 Ipse, omnis terret quem subito pavidum  
 Aeternum atque labor; mihi qui nil querere quicquam  
 Ipse ausim tantillo asperius, leviter  
 Quod sensumve aliquo pellat, mentemve dolore;  
 Quin & sponte sua quæ obveniunt, renuam  
 Ferre libens; nec vel ratio, vel pulchra parentum  
 Hec exempla queunt (vae misero) efficere,  
 Fortis ut, adversæ quæ res duræque vocantur,  
 Amplectarque volens & rear esse bonas.  
 Ergo aliquid maius promendum: surge reperta est,  
 Surge anime, est omnis iam medicina mali  
 Prima reperta. Dei proles, Deus ipse medelam  
 Fert veniens cœli sedibus e patriis.  
 Tempus erit monte in celso, præcepta beatæ  
 Quum vitæ incipiet pandere, quumque inopem,  
 Istatumque odiis, feda & maledicta ferentem  
 Felicem dicet; gaudia lætitiaz  
 Cui fas ingentis soli gaudere, relatum  
 Quod se coelestes iam sciat in tabulas;

Felices

Felices Divum tabulas, Rex ætheris alti  
 Scribit ubi auratis nomina sancta notis:  
 Vx contra miserum ridenti, æternaque monstrat  
 Servari horrendo in carcere supplicia.  
 Hæc & plura olim verbis: infans bona multa  
 Ærumnæ exemplo nunc docet ille suo.  
 Vnigena æterni Patris, Deus, omnia nutu  
 Qui vertit rerum conditor, has hominum  
 Delicias, & opes, & gaudia respuit, atque  
 Despuit; Ærumnam, hanc, homines fugimus  
 Quam misere, hanc ipsam cupide complectitur, unam  
 Hanc vitæ comitem vult sibi perpetuam.  
 Cernite, nascenti cognata nullus in urbe  
 Est locus, humano pulsus ab hospitio  
 Montivagas inter pecudes horrēntia dumis  
 Antra colit, gelidæ quæ super usque nives  
 Densantur, pluviæque inter cava saxa meantes  
 Manant e scabris undique pumicibus.  
 Mater inops inopem iuxta gémit: haud potis illa  
 Sævam hyemem & cauri frigida præcipitis  
 Flabra arcere: potis quod si foret, ipse volenti  
 Vel parvam ærumnæ demere particulam  
 Infans obstaret certe puer; obstat ut illis  
 Qui circum volitant aligerum thyasis;  
 Obstat ut Eois Ducibus ne ditia præter  
 Dona velint aliquo ferre domum in tepidam;  
 Quo nec hyems penetrat, nec sævi flamina venti,  
 Multaque det mollem subdita pluma torum.  
 Mox antro e dulci furor & vis impia pellet,  
 Versaque in immeritum tela cruenta caput.  
 Quæ fugiet, non ut vitet sed perferat olim  
 Ut maiora suo tempore supplicia.

Sancte

Sancte fave firmaque tua virtute tuorum  
 Pectora: iam duras, te praeunte, vias  
 Ingredior; iam nil terret: fractus ruat orbis  
 Impavidum hoc feriet vasta ruina caput.

## DELL' ABATE

## ALESSANDRO DE SANCTIS

**S**Orgi dall' ombre polverose, e morte,  
 Non perirai, *Simon*; te a nuovi onori  
 Ecco il Ciel chiama, e al crin tifa la sorte  
 Del Campidoglio rinverdir gli allori:  
 E tu, *Raimondo*, ah dalle ferree porte  
 Del dio Silenzio esci una volta fuori;  
 E' dolce il di; vieni alla luce; e Morte  
 Bieca ti guati entro gli suoi squallori.  
 O buon *Crisauro*, a cui fè Apollo in mano  
 Sonar d'ambi la cetra, agli occhi tuoi  
 Certo stà in terra l'or nascoso in vano,  
 Tu rompi le miniere, e i carcer suoi;  
 Fugga oltre Scizia il duro ferro insano,  
 L' età dell'or tu già riporti a noi.

F I N I S.



Saggs

